

mit Widmung 1, 278. 565.  
Adf. M. p. 425.

###  
7

Q. D. B. V.

DE

JURE

COMMERCIORUM  
TERTII

1690, 6

a

inter Belligerantes,

ad HUGON. GROTIJ l. 3. J. B. P. C. I. n. 5.

86

DEO bene annuente,

In Incllyta Argentoratensium Academia,

PRÆSIDE

DN. JOH. JOACHIMO ZENTGRAVIO,

D. & Philosoph. Pract. P. P. Celeberrimo,

Patrono, Promotore, Fautore, ac Præceptore,  
omni observantiæ cultu æternùm prosequendo,

Disputabit

JOHANNES FRIDERICUS SCHMIDT,

Argentoratensis.

die Mensis Novemb. An. MDC XC.

H. L. Q. S.

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS WELPERI.

J. J. Zentgravius de iure commerciorum. Tertii.

VIRO  
MAGNIFICO, SVMME REVEREN-  
DO, EXCELLENTISSIMO,  
DN. PHILIPPO JACOBO  
SPENERO,

DOCTORI THEOLOGO CELEBERRIMO,  
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO,

ELECTORI SAXONIÆ

A CONCIONIBVS AVLICIS PRIMARIIS,  
CONFESSIONIBVS SACRIS, ET CONSILIIS

ECCLESIASTICIS,

UT ET

VIRO


MAXIME REVERENDO, NOBILISSIMO, EXCEL-  
LENTISSIMO,

DN. ADAMO RECHEN-  
BERGIO,

S.S. THEOLOGIAE LICENTIAO, HISTORIARVM ET  
GRÆCARUM LITERARUM IN UNIVERSITATE  
LIPSIENSI P.P. CELEBERRIMO.

DOMINIS, PATRONIS ET AGNATIS, DEBI-  
TA CVM VENERATIONE PROSEQVENDIS, EA  
QVA DECET ANIMI SVBMISSIONE, EXERCITIVM  
HOC ACADEMICVM SACRVN ESSE JVBET.

Johannes Fridericus Schmidt,  
Argentoratensis.



§. 1.



**D**e jure commerciorum tertii inter bel-  
ligerantes inter Doctos varie disquiri, inter  
gentes decertari tam per disceptationem quam  
per vim, illorum monumenta, harum vero  
annales & historiae docent: Variat enim stu-  
dii, consilii, belli ratio & belligerantis con-  
ditio, motus item animorum. *Caute & timide*

*hic Grotium egisse, nec nimium futurum qui cum eo faciet, exi-  
stimat Dn. Zieglerus (a). Bene ergo quæ de hac quæstione col-  
loquii Academici gratia a nobis dicentur, accipiet lector, si ip-  
sius judicio ex principiis positis formando, nonnulla relinquen-  
tur; qui etiam cum Grotius mores gentium ante suam ætatem,  
& operis de I. B. & P. scriptionem attulerit, exemplis gentium quæ  
post illius tempora magna ex parte contigere, dicta illustrare in  
animum induximus. Faxit Deus feliciter.*

a) *Not. in  
Grot. 3.1.5, p.  
56.*

§. 2. De jure commerciorum tertii inter belligerantes  
quæritur. Quid vero *jus*, quis *tertius*, quid *commerciorum* no-  
mine, qualis *belligerans* intelligatur, non prolixè præcognoscen-  
dum. Ex variis enim *juris* acceptionibus, de quibus Doctores  
tam Morales, quam Civiles, illa in præsentì hujus loci est, quæ  
Grotii (b) verbis dicitur *qualitas moralis personæ competens ad  
aliquid juste habendum vel agendum*. Et cum hæc qualitas jam  
perfecta, jam imperfecta sit, prout nimirum ex ratione justitiæ  
particularis competit, ut citra injuriam denegari non possit, aut  
in justitia Universalì tantum fundatur (c); ita jus commerciorum  
cum aliis gentibus exercendorum, in eo cui competit, non nisi  
imperfectam qualitatem significare nobis creditur. Ista enim  
commerciorum libertas, quam *Franciscus à Victoria* (d), &  
qui eum sequitur *Hugo Grotius* (e), justo laxius & in gentium

b) *I. B. P. 1.1.4.*

c) *ad. Pufend.  
I. N. G. 1. 7. 8.*

d) *Relect. 5.  
f. 3. n. 2.*

e) *l. 2. de I. B.  
P. c. 2. §. 19.*

A 2

libera-

liberarum præjudicium interpretantur, genti adversus gentem non nisi jus imperfectum largitur, sic ut si populus cum altero nolit commercia exercere, id quod ex jure libertatis & paritatis isti omnino licet, is qui sic arcetur, hoc ipso non sic lædatur, ut pro injuria id interpretari possit. Ne dicam, jus extranei cedere juri, quod Dominus rei vi domini sui habet. Patet hinc, quid habendum sit de Philosophia Leonhardi Lessii,

f) de I. & I. l. 2. c. 2. d. 1. n. 2. seq.

(f) quando jus, ea qua nunc usurpatur acceptione, illi dicitur *potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem, cuius violatio injuriam constituit.* Facultatis nimirum quæ sui nomine etiam notari solet est hæc descriptio, non qualitatis moralis personæ competentis ad aliquid juste agendum vel habendum, quæ vel perfecta vel imperfecta est. Rectius Escobar hoc pacto, inquit, hac nimirum vocis hujus acceptione, *aliquem dici uti jure suo.*

g) Theol. Moral. tract. 3. Ex. I. c. 1. n. 1.

§. 3. Deinde cum de jure tertii inter belligerantes sermo sit, patet Tertium jam dici, qui inter aliorum bella quiescit, & ut Livius (h) loquitur, *armis abstinet.* Apud eundem scriptorem (i), tales qui sunt, dicuntur *amici medii.* Julio Cæsari apud Suetonium (k) *vocantur medii & neutrius partis;* quos a libi (l) *pacatos* nominavit. Corinthii apud Thucydid (m). tales *ἡσυχάζειν, quiescere & in otio esse dixerunt;* & apud Herodianum (\*) cum Niger comperto Severi successu, nihil tale expectans, & perturbatus ad Parthorum, Armeniorum atque Atrenorum reges auxilia rogatum misisset, ὁ Ἀρμένιος ἀπεκρίνατο μηδέσπερ συμμαχίσειν, *Armenius neutras se suscepturum partes respondit.* Ex Tacito (n) alias constat de Chaucis, populo inter Germanos nobilissimo, quod singulare quietis studium præ se ferentes, *magnitudinem suam maluerint justitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocantes bella.* Addit tamen, *prompta omnibus fuisse arma, ac si res poscat exercitus: plurimum virorumque equorumque, & quod eadem fama quieverint.* Medii hi atque extra bellum positi, finitimi præsertim atque infirmiores, etsi in illos nullum sit jus bellicum, occasione tamen belli multa, Grotio (o) monente, *prætexta necessitate* pati haud raro coguntur, illi præprimis, quibus media ista conditio pacto cum belligerantibus inito non est concessa.

h) l. 32.  
i) l. 35.  
k) Inl. Cæs. c. 75.  
l) Comm. de Bell. Gal. 7. c. 6.  
m) I. Bell. Pælop. f. 22.  
\*) Histor. l. 3. c. 1.  
n) Germ. c. 35. 4.

o) l. 3. I. B. P. c. 17. 1.

§. 4. Ni-

§. 4. Nimirum, quod & Dn. *Textor* (p) observavit, media hæc conditio inter belligerantes, atque in turbis quies, dupliciter se habet; vel enim ex pacto est, vel citra pactum speciale subsistit ex gentium jure; quod posterius quietis genus, eo ipso quod secundum gentium atque naturæ jura observari velit, non minus vere mediæ inter armatos conditionis nomine stylo publico atque gentium gaudet, atque quæ pactis expressis inita est hoc nomine conventio, vel pacto tacito subsistit. Nam, uti recentiora testantur acta, etiam ab illis, qui hoc nomine à belligerantibus non appellati quietem præstant, & neutri parti se conjugendo *spectatores belli* esse malunt, uti loquitur Archidamus Ætolorum legatus apud *Livium* (q), postulat, ut *pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent: bello se non interponant*; quod ab Achæis postulatum ivit Antiochi legatus, eodem scriptore *Livio* (r). Quapropter cum non tam de jure commercii illorum, qui ex pacto quiescunt & armis abstinent, quam qui citra pactum bello non sunt interpositi, agere sit animus *Tertii* nomen, quo in præsentem uteremur commodius fuit visum.

§. 5. Cæterum cum inter *Tertii* hujus inter belligerantes jura etiam jus & libertas commerciorum numeretur, nec quid *commercii* voce nunc significetur, multis commemorandum videtur. Mercaturam nimirum notat, quæ *Bornitio* (s) explicante, *mercando sive negociando, bona Reip. deficientia aliunde acquirit: & superflua aliorum transportat & commutat. Dicitur Platoni* (t) *ἐμπορικὴ τὸ δὲ γὰρ ἐξ ἄλλης εἰς ἄλλην πόλιν διαλλάττομένων ὧν καὶ πράξει, ἐμπορικὴ, cum inter cives & peregrinos emendo & vendendo res ex urbe alia in aliam permutatur, mercaturam dicimus, quam αὐτοπωλικὴ, qua quis sua vendit, rusticorum & opificum exemplo, notante *Gifanio* (u), & *καπηλικὴ, quæ inter ejusdem urbis cives peragitur, contradistinguit. Aristoteles* (x) *ἐμπορίας ταύτης μέρη τρία, mercatura hujus partes tres esse docet, ναυκληρίαν, φορηγίαν, παρόσιασιν, nauticam, onerariam & παραστάσιν, quam *Piccartus* (y) *cauponariam* interpretatur. Illa navibus merces importat & exportat: Illa plaustris & jumentis id præstat: Hæc domi merces in foro vendit. *Thomas Aquinas* (z) mavult per *παρόσιασιν* intelligere *negotiationem*; puta cum**

A 3

aliquis

p) *Synop. I. Gent. c. 26. n. 1. f. 9.*

q) l. 35.

r) l. 6.

s) *de rer. sus. sic. tr. 3. c. 1. p. 230.*

t) *Sophist. f. m. 151.*

u) *Comment. in Arist. 1. Polit. 6. p. 101.*

x) *1. Polit. 7. al. 11.*

y) *Comment. in Arist. 1. Polit. 11. p. 137.*

z) *Comment. in 1. Polit. Aristot. Lect. 1X. f. 11. b.*



*aliquis non defert merces nec per mare nec per terram : sed assistit mercatoribus per communicationem pecunia vel rerum.* Verum quicquid sit de *παράστασις*, cum illa domi tantum sit negotiosa inter suos, non erit hujus loci; nauticum potius & onerarium commercii genus, quod inter diversarum gentium & civitatum homines exerceri potest & solet, id erit de quo disquirendum, an & quatenus ejus jus tertio inter belligerantes competere possit.

b) cap. 4.

c) Art. 7.

d) art. 5.

e) art. 20.

§. 6. *Belligerantis* nomine illum intelligimus, qui bellum gerit, sive solenne, sive minus solenne, sive belligeranti illud bellum cum pare intercedit, sive cum rebellibus, quos armis necessariis & pœnalibus ad officium reducere invitus cogitur. Gentium pactis enim constat etiam hoc commercii genus, & qua ratione pacatus se erga belligerantis rebelles gerere debeat, definiri, ceu patet non solum exemplo *fœderis Burgundici* (b), sed & si recentiora, quæ inprimis spectabimus, malimus, *Anglo Belgici Westmonasteriensis* (c) inter Cromwellum & Belg. Confœderatum, anno 1654. *Anglo Danici* eodem anno percussi (d); *Anglo Gallici* (e), anno 1655. initi; etsi non negemus, rebelles vere tales bonorum commercio indignos esse, & proinde de bello solenni inprimis nunc esse quæstionem.

f) l. 3. Offic.  
o. 5.

§. 7. Competere vero his qui extra bellum positi sunt jus navigandi ad amicos, quibus cum alio populo bellum intercedit, & commercia cum illis exercendi sive mari & fluminibus, sive terra, cum ex commercandi libertate, quæ inter gentes amicas datur, tum ex gentium paritate, atque ex naturali facultate ut ex proprio agendi arbitrio, ita ultro citroque mercaturam cum quacunque placuerit gente exercendi potestatem quærendi, probatur. Commercandi enim quod attinet libertatem & jura, quo minus gens cum gente commercia exercere possit, non impedit status hostilis qui huic cum alio populo intercedit: Tertii quippe jura, per aliorum lites, quæ ad illum non pertinent, turbari nesciunt, cum gens cum gente suas sic exercere debeat inimicitias, ne alia quæ extra partes est lædatur, vel in exercitio suorum jurium impediatur. Notus est Ciceronis (f) locus: *Detrahere aliquid alteri & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam,*

ram,

ram, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, qua possunt corpori accidere, aut rebus externis. Unde negat Paulus (g), bono & aequo convenire, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnū sentire per alterius lucrū Videmus hinc, gentes suis viribus fratas, & compellatas à gente de non exercendo commercio cum gente suo hoste, vel non importando in ejusdem provincias com-  
 meatu, vel omittenda invectione armorum aliarumque rerum bello necessariarum, id se facturas partim negasse, partim frigide respondisse, nisas jure suo & libertate commercandi, de quo ob privatum alterius commodum in causa ad se non pertinente, suo incommodo aliquid detrahi passæ non sunt. Ita cum, scriptore Loccenio (h), Johannes II. Daniæ & Sueciæ Rex, cum Stenone Sturio, qui in Suecia res novas moliebatur, bellum gesturus, missis legatis Lubecenses, cæterasque Vandalicas urbes mone-  
 ret, tantisper quiescerent, nec in Sueciam arma, commeatum, aliaque bello necessaria importarent, responderunt Lubecenses, se cum merces suas magnam partem facultatum, & negotiationis socios in regno Sueciæ passim habeant, non absque ingenti fortunarum suarum dispendio, istius loci commercii abstinere posse. Se neutri parti addictos, ob Regum discordiam, libero commerciorum & navigationis usu, jure gentium recepto, priscisque privilegiis arceri, contra jus & fas fore. Orare igitur ut cum bona regis gratia sibi in posterum quoque jure suo frui liceat. Ita cum bello inter Gustavum I. Sueciæ regem & Magnum ducem Moscoviæ flagrante, Angli per mare glaciale in Moscoviam ad portum S. Nicolai navigarent, & omnis generis vetita bellica instrumenta & arma ad Russos deportarent, missis ad Fridericum Daniæ Regem Suecus Rex legatis, eodem Loccenio (i) commemorante, amice desideravit, ut Danus Rex & suo emolumento tuendo, & aliorum Christiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, istum navigationis cursum Anglis præcludere vellet. Misit etiam communium commerciorum nomine ad Mariam Angliæ reginam legatos, sed ab ea hoc responsum accepit: Se sibi subjectis libertatem navigandi, quo velint, ex privilegio nactis, inhibere non posse. Velle nihilominus armorum invectionem in Russiam prohibere. Et si id factum non sit, nec de mutuis commerciis certi quid responsum. Πρόφασις certe Mariae

g) l. 6. §. 2. D. jur. dos.

h) Hist. Suec. l. 5. p. 172.

i) Hist. Suec. l. 6. p. m. 337.

riæ hæc fuit, quare non responderit Gustavo ad mentem, quicquid sit de *virtute*, quod animo erga Suecum fuerit parum benevolo. Factum etiam *navis* cujusdam *Anglicæ ad Turcas proficiscentis cum mercibus aliis*, & nonnullo pulvere tormentario, examinans *Albericus Gentilis* (k), negat hostilitatem Hispanorum contra Turcas, *commerciorum Regis Britannia cum gente hac turbare. Habet, inquit* (l), *rex noster magna Britannia cum Turcis commerciorum jura.*

§. 8. Præterea jus commerciorum quo gentes invicem gaudent, imperfectum licet, species est juris æquatorii. Gentium enim societas, sicut alibi explicatur, est sine inæqualitate. Naturalis quippe earundem conditio uti absque summa & illimitatâ non datur libertate, ita summitatis hæc æqualitas gentium paritatem etiam infert, quoad statum nimirum, conditionem & juris æqualitatem. Hæc gentium paritas, cui gentium jus inprimis consulit, prælationem quandam, vel jura majora & potiora genti præ gente non concedit, ita ut antequam peculiare aliquod factum contingat, & pactum humanum intercedat, quo gens in & adversus gentem sibi jus aliquod acquirit, vel ex maleficio & damno per injuriam ab altero dato id læsa consequatur, nihil potestatis in eam habeat, sed potius cæteras gentes æquo jure secum vivere pati teneatur. Jus itaque commerciorum cum quovis populo æquale est; & naturaliter cum omnibus gentibus id competat æqualiter, tolleretur ista inter gentes paritas, si alterius privata utilitas cæterarum jura secum traheret. Uti enim hæc gens jure suo utitur, ita vicissim illa suo, quod invitæ à pari interdici non potest. *Non enim*, uti doctis loquitur *Strauchius* (m), *propter tuum incommodum, jus in meo meum tollitur*; sed uti *Terentius* (n) monet, *multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum est ferre*. Et omnino inter Gentes etiam habet locum, quod de civitatibus *Plato* (o) enuntiavit: *Τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδέει, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾶ τὰς πόλεις, publicum civitates (gentes) connectit atque conjungit, proprium dissipat*. Quapropter quod attinet commerciorum jura, illa secundum *Albericum* (p) *Gentilem, interpretatio tenenda est, & restringendo & extendendo, quæ servat æqualitatem onerum, & æqualiter consulit utrique contrahenti, & minus præjudicialis est alteri.*

k) *Hispan.*  
*AdVoc. l. 1.*  
*c. 20.*  
l) *l. c. p. 93.*

m) *Dissert. Acad.*  
*cad. 1. de imper. Mar. c. 8.*  
*n. 3.*

n) *Hec. Act. 5.*  
*sc. 3.*

o) *l. 9. de LL.*  
*f. 660.*

p) *AdVocat.*  
*Hispan. Lib. 1.*  
*c. 20.*

*alteri.* Foret autem valde præjudiciale genti bello non interpositæ, si à pari ita circumscriberetur, ut ab hujus quiete, vel turbis, quas alii populo facit, sua jura cerneret suspensa. Exorto hinc inter gentes bello, quietas sæpius constat à belligerantibus expetiisse libertatem commerciorum ubicunque exercendam. Ita Daniæ Rex Christianus, scriptore *Thuano* (q), flagrante inter q) *Hist. l. 119. f. 762.* Ordines Belgii Confœderati & Hispanos bello, cum pacis faciendæ gratia partes suas apud Belgas interponeret, simul petiit, ut neutras in hoc bello partes foventibus libera navigatio & commercium ubicunque maneret; excipientibus Ordinibus, neutris in hoc bello populis, civitatibus ac principibus se nunquam liberam ubivis navigationem prohibuisse, neque nunc prohibere. Quærelas Pauli Dzialini Poloni, Sigismundi regis legati ad Elisaberham Angliæ reginam, de interdicto commercio cum Hispanis contra gentium jus, uti affirmabat, explicat *Camdenus* (r).

§. 9. Naturalis hæc gentium libertas atque paritas civili- r) *Elisab. ad ann. 1597.* bet etiam genti paritatem arbitrii largitur, in eligendis & agendis illis, quæ gens quævis ad sui defensionem, conservationem, & incrementa facere judicaverit. Unde si populo e re sua esse visum fuit commercia exercere cum gente, cui ab alia bellum est illatum, uti pacato non licet bellum inferentem in usu juris sui impedire: Noluit certe Carolus Gustavus Sueciæ Rex alligari *Decreto* (s), de quo Hagæ comitis an. 1659. Galliæ Legatus, s) *Conf. Diar. Europ. Cont. l. p. 229.* Angliæ Residens, & Ordinum Belgii confœderatorum Deputati inter se convenerant, ad fœdus inter Daniæ & Sueciæ Reges per media ibidem deducta promovendum & perpetuo sancendum, sed uti *Loccenius* (t) autor est, pacem voluit ex more gentium & li- t) *Hist. Suec. l. 9. p. 845.* bere tractari: Quanto vero cum animi motu coram mediatoribus Legatis convento huic Hagiensi contradixerit, tradunt *Acta Londorpiana* (u): Ita nec belligeranti licet turbare gentem quie- u) *10m. 8. f. 625.* tam in usu jurium libero, quæ habet apud gentem cui is bellum facit. Liberum enim genti in suis negotiis & circa suas res arbitrium, nisi eo in perniciem aliorum populorum manifeste & cum dolo abutatur, non debet intercipi.

§ 10. Juribus his nifus Jacobus Magnæ Britanniæ Rex, inita cum Hispanis pace, ab Ordinibus Belgii Confœderati subditis suis impetrare studuit facultatem è mari intrato Scalde com-  
B
mercan-

mercandi cum Antwerpiensibus, Ordinum hostibus, frustra licet, quod cum decremento suorum commerciorum, & incremento potentia navalis Hispanica, illud Britannorum cum Belgis Hispanis commercium conjunctum fore metuere Batavi. Prolixius quid hoc nomine actum explicatur apud *Meteranum* (x) & *Grotium* (y). Anno 1654. Angli vigore pacis Westmonasteriensis (z) idem rursus prætenderunt, atque intrato Scalde Antwerpiam commercii causa se ituros dixerunt, Ordinibus Belgii licet rursus id denegantibus, missa hoc nomine *Deductione* Londinum, quam exhibet *Londorpius* (a). Tam ægre vero denegatum hoc commercium tulit *Jacobus*, ut vicissim suis interdicere, ne in re nautica exteris operam aliquam locarent, Batavos hoc interdicto inprimis petens. Licet vero, ut in sequentibus hoc monebitur, libertas commerciorum rationi belli & status bellantium eo usque cedere teneatur, quatenus id necessarium est ex ratione finis belli; attamen cum inter belligerantes tantus commerciorum existat favor, ut haud raro inter arma etiam illorum exercitium retineatur, interruptumque restituatur, uti *Meterano* (b) scriptore, brevi hinc temporis spatio, durante inter Hispanos atque Belgas confœderatos bello, vehementi illa animorum exacerbatione, qua illud bellum gestum constat, non obstante, bis commerciorum exercitium inter utramque gentem obtinuit, quod etiam inter Turcas & Persas, Muhammedanos, belli tempore viget: multo magis favor comitabitur commercia pacatorum cum gente amica, armis licet aliunde impugnetur, instituta.

§. II. Nimirum quando per frequentata cum externa gente commercia civitati multum accedit commodi, operam dare illa debet, ne exortis simultatibus, vel bello, peregrinae gentis mercatores durius habiti cum insigni commerciorum detrimento alibi forum quærant, uti *Camdenus* (c) Anglos in Belgio duriter habitos, prohibente *Ducissa* Parmensi pannos Anglicos in Belgium invehi, *Emda* ad *Amasium* fluvium in *Frisia* Emporium pannorum & mercium Anglicarum constituisse autor est: Quemadmodum & postea ab iisdem *Hamburgi* factum idem refert (d), cum *Albanus* Anglica in Belgio commercia furenter turbasset. Idem ne Hispaniæ accideret, subditis Belgii confœderati, belli

x) *Hist. Belg.*  
l. 24. f. 270. sq.  
y) *Hist. l. 13.*  
z) *art. 17.*

a) *Act. Publ.*  
r. 7. c. 83. f. 919

b) *l. c. l. 25. f.*  
290.

c) *Elisab.*  
ann. 1564.

d) *Elis. ann.*  
1568. & 69.

belli tempore , uti dictum , commercii causa suas frequentare oras permisit Philippus. Hujus hinc successori non admodum utile consilium Baudius (\*) dedisse ait , qui fuerunt autores in auspicio principatus , ut naves Batavorum fisco , & corpora pœnis ac servituti addicerentur : cum hac savitia prabuerit occasionem Belgicis mercatoribus , ut ad extremos Garamantas & Indos penetrarent , ne quid inexpertum sine lucro morituri relinquerent.

(\*) De Indue-  
bel. Belg. l. 2.  
p. 106

§. 12. Objectum hujus commercij quod tertius , & qui neutras bello sequitur partes , cum belligerantibus exercendi jus habet, sunt in genere loquendo omnia illa quæ in commercium venire possunt , & vel ob dignitatem & præstantiam , qua nullo pretio æstimari possunt ; vel ob turpitudinem , qua nullo penitus pretio ceu tali plane indigna venire debent ; vel ob conditionem temporum , locorum , rerum , juriûm alterius partis , non sunt commercio exempta. Hugo Grotius (a) distinctius rem expositurus , sunt , inquit , quæ in bello tantum usum habent , ut arma : sunt quæ in bello nullum habent usum , ut quæ voluptati inserviunt : sunt quæ in bello & extra bellum usum habent , ut pecunia , comæatus , naves & quæ navibus adsunt.

a) I. B. P.  
III, 1. 5.

§. 13. Ad merces primi generis vinum referre non licet. Quanquam enim Marsilius Cagnatus (b) luxus gratia vini con- diendi rationem ad nimium processisse observaverit , non facile ta- men , B. censente Bœclero (c) , dixeris , quod in mercibus ad me- ram luxuriam pertinentibus , vinum numerari queat. Rectius Pli- nius : (d) Vino aluntur vires , sanguis colosque hominum. Vino modico nervi juvantur : Stomachus recreatur : appetentia ciborum invitatur. Cum itaque ad bonam mortalium valetudinem plu- rimum vinum conducatur , merito ad tertij generis merces , quæ & in bello & extra bellum usum habent , reducitur. Idem judi- dicandum de cerevisia , aceto , oleo , ob eundem usum varium atque necessarium quem in vita humana præstant , in locis in- primis obseffis. Unde ex rationis paritate etiam arida , v. c. fru- menta , aromata &c. simul intelligere licebit. Non minus de sa- le res certa est , cum usus ejus mechanicus æque atque œcono- micus neminem lateat.

b) Var. Ob-  
ser. l. 2. c. 1.  
p. m. 113.  
c) Comm.  
Grot. l. II. c.  
2. §. 10. p. 86.  
d) Hist.  
Nat. l. 23.  
c. 1

§. 14. De Tabaco , an ad tertij generis merces pertineat , quas hostis ne ad hostes suos transferantur prohibere possit , in- ter Hispanos & Anglos disputatum constat ex Marquardo (e) ,

e) de Jure  
mercatur. l.  
1. c. 161 n. 33.  
add.  
Zouchaus de  
Jur. Fec. P II.  
f. 8. q. 12.  
p. 262.



affirmantibus Hispanis, herbam hanc inter victualia censendam esse, quod ejus usu victualium consumptio protrahatur, & eadem ratione confiscandam, qua sal, quo victualia a putredine conservantur; Anglis vero, quibus navem tali herba onustam Hispani rapuerant, negantibus, quod Medicorum testimonia herbae hujus fumum nutrire negarent, & Icti assererent, utcunque subditorum bona a paritate rationis in commissum incidant; exterorum tamen & amicorum, nisi verbis expressis interdicta sint, confiscationi non esse obnoxia. Verum quicquid sit de vi hujus herbae, cum non solum Indi, Dn. D. Simone Pauli (\*) autore, e Tabaco & ustis cochleis fluviatilibus, sitis famifve facilius tolerandae gratia, pilulas formare consueverint; sed & Angli ipsi, Camdeno (f), scriptore, ab Indis edocti Indica hac planta contra cruditates usi fuerint, & valetudini ejus ulu consuluerint, ad res quae in bello & extra bellum usum habent, cum aliis medicamentis etiam Tabacum referri posse, dubio videtur carere. Unde quando, Zouchao (g) notante, hoc Hispanorum factum, quod in tribunali maritimo illorum probatum fuit, Angliae rex motus, habitata causa examinatione & consultis in jure peritis, mercatoribus suis contra subditos regis Hispaniae, ad recuperandum & resarciendum damna, quae passi erant, literas Repressaliarum concessit, facilius hoc ex turbata libertate commerciorum, & probata pacatorum laesione, quam quod herba Nicotiana non ad illud genus mercium pertineat, quibus res hostium juvari possint, excusari defendique existimaverim.

\*) Comment. de abus. tabac. p. 3. l. D. f) Elisab. ad ann. 1585.

g) l. c. ex Commiss. & process. in Curia Admiral. Angl.

h) l. c.

i) Hist. l. 2. f. 53.

i) l. 6. c. 2.

§. 15. Hujus generis rebus recte à Grotio (h) annumeratur pecunia. Hujus quanta bello sit necessitas, Pericles apud Thucydid (i). Athenienses docuit, λέγων τὴν ἰσχυρὴν αὐτοῖς ἀπόλειπτον εἶναι τῶν χρημάτων τῆς προσόδου, τὰ δὲ πολλὰ τῶν πολέμων, γνώμη καὶ χρημάτων περισσὴ κρᾶτισταί, dicens ex pecuniarum proventu futuras eis vires, ac magna ex parte bellum vinci consilio & pecunia vi. Cambium hinc inter belligerantes cessare solet, ni aliud placuerit partibus, ne numerorum subministratio cum hoste nervus imperii atque rerum gerendarum comunicetur. Refert ex Trogo Pompejo Epitomator Justinus (i), Cononem belli navalis ducem, cum frustra Persarum regem cui militaverat, de debitis militibus solvendis defatigasset, per internuntios esse questum, opulentissimi regis bella inopia dilabi, & qui exercitum parens hosti-

hostibus habeat, pecunia vinci qua praestet. Idem de navibus, equis, consequenter & de illis quæ ad equos instruendos pertinent, ut sunt ephippia, frena &c. censendum. Archidamus hinc Rex Spartanorum persuasurus Lacedæmoniis suis, ne præcipiti consilio bellum in Athenienses decernant, considerare illos jubet apud *Thucyd* (k). quod, in quos tantopere pruriunt, præclarissime muniti sint divitiis & privatis & publicis, classe, equitatu, armis; non negante id *Sthenelaida* (l) *Ephoro*, & hinc æstimante potentiam Atticæ civitatis; Ἄλλοις, inquit, χρήματα ἐστὶ πολλὰ, καὶ νῆες, καὶ ἵπποι, aliis suppeditat multitudo pecuniarum, navium, equorum. Belli tempore hinc etiam prohiberi solet, ne equi extra terras in provincias hostiles ducantur. Hac mercium classe denique numeramus materiam quoque, ex qua ejusmodi rerum species, quarum usus in bello & extra bellum datur, conficiuntur, ferrum v. g. ex quo arma; tabulæ item vel ligna, ex quibus arma fabricantur. Unde & *Zonchao* (m) monente, jus civile non solum arma, sed etiam ferrum ad hostes deferri prohibet; & *Canones*, qui galeas, id est triremes ad *Saracenos* ferri non permittunt, etiam lignamine galearum, id est ligna & tabulas ex quibus conficiuntur triremes, ne deferantur, interdiciunt. Autor etiam est *Procopius* (n), apud Romanos legem fuisse, de ferro & aliis in Barbaricum solum non transferendis, ita ut *Indi* & *Æthiopes* tale quid a Romanis mercari non potuerint, lege omnino prohibente, & constituta deprehensio mortis poena.

k) l. 1. f. 26. seq.

l) *Thucyd.* l. 2. c. f. 28.

m) *de Iud.* *Fec.* l. 2. f. 8. q. 8. p. 258.

n) *Bell. Pers.* l. 1. f. 142.

§. 16. Res quæ in bello tantum usum habent, *Grotius* arma esse dicit. Intelligi hoc debet de armis quæ per se sunt instrumenta militaria, ad hunc finem atque usum ex prima intentione fabricata, atque pars apparatus militaris (o). Constat enim defectu talium armorum adhibita fuisse, atque adhiberi ad nocendum alia instrumenta domestica, rusticorum etiam atque opificum. *Cinado* quidam apud *Xenophontem* (p), qui cum aliis adversus Spartam conjuraverat, sceleris socio ad fabricam ferrariorum officinas deducto, pro turba promiscua non solum monstrasse, ceu arma, πολλὰς μὲν μαχαίρας, πολλὰ δὲ ξίφη, πολλὰς δὲ ὀβελίσκους, πολλὰς δὲ πελέκεις καὶ ἀξίνους, καὶ πολλὰ δρέπανα, multas scias, multos enses, multa verua, multas bipennes & ascias,

o) *Lipf. Polit.* l. 5. c. 6. n. 2. 16.

p) *Hist. Græc.* l. 3. f. 494.

scias, multasque falces; sed etiam dixisse dicitur, ὅτι καὶ ταῦτα ὅπλα πάντα εἰν, ὅποσοις ἀνδρῶσι καὶ γῆν καὶ ξύλα καὶ λίθους ἐργάζονται, καὶ τῶν ἄλλων δὲ τεχνῶν τὰς πλείους τὰ ὄργανα ὅπλα ἔχειν ἀρμύνην, ἄλλως τὲ καὶ πρὸς ἀόπλους, illa universa esse arma, quibus terram homines colant, ligna lapidesque cadant, itemque opificia cetera quam plurima habere sua quadam instrumenta, quae armorum loco sufficiant, praesertim adversus inermes. Quae hujus generis sunt instrumenta, usum habent tam extra bellum, quam in bello, licet ordinariorum defectu ut plurimum, vel quando ejusmodi instrumentis rusticis, falcibus scenariis v. c. majus hostibus damnum inferri posse creditur. Sic Autor Relation. obsidionis Viennensis, anno 1683. refert, obsessos ejusmodi falcibus capulis longioribus alligatis Turcis magnam cladem intulisse, frustra barbaris, bellica consuetudini usum hujus generis armorum repugnare clamantibus. Et plurimum interesse quo armorum genere in bello utamur, eximie explicavit Scipio Ammiratus (q). Quot genera alias instrumentorum militarium sint, hodie potissimum, explicant B. Boeclerus (r), Nicolaus Bellus (s), alique. Hujus loci etiam est pulvis pyrius, usui tormentorum hodiernorum atque bombardarum, totique adeo pyrotechniae militari inserviens; sulphur item atque nitrum, ex quibus pulvis iste bellicus conficitur. Caeterum an armorum nomine, quando de commercio quietorum cum belligerantibus disquiritur, etiam una accessorium intelligatur, v. c. vagina, quando mentio fit gladii, quaerunt. Bello, ait Zouchaus (t), inter Caesarem (Carol. V) & Regem Galliae, Duces convenerunt, ut quaedam ultro citroque transmitti possent, exceptis armis cujusque generis. Evenit ut mercator quidam partis Caesareae, inter merces concessas, centum aut quinquaginta vaginas ad recondendos enses, transferret, quae a Gallis interceptae sunt, quia vaginis etiam, ut ensibus ad rem bellicam hostes instruuntur. Id etsi durum visum fuerit, quia lanea & lineae, quae sunt necessaria ad vestimenta militum, inter merces prohibitas non censentur, mercator tamen merces amisit. Improbare quidem, qui hoc ita tradit, videtur Petrinus Bellus (u), cujus verba satis hoc nomine aculeata producit Zouchaus (u): Negat etiam Menochius, idque hac de causa, quod per vaginas hostis non redatur validior: At-

tamen

q) Dissert. in Tac. l. 2. c. 4.  
 r) Dissert. Acad. de Pot. Civit. p. 367. Inst. Polit. l. 4. c. 4.  
 s) Rer. Polit. l. 5. d. 8. §. 9.  
 t) Jur. Fec. P. 2. §. 8. q. 9.  
 u) de re milit. Part. 9. n. 26.  
 §) l. c.

tamen cum eadem arma hostilia, enses conservent, ne rubiginem tam facile contrahant, illorumque usum innoxium præstent, ita ut qui gladiis sunt cincti, sine suo & aliorum periculo vaginis non videantur posse carere, in libero & illimitato quod ille qui neutras sequitur partes cum belligerantibus nonnunquam exercet commercio, non solum licite hostibus alterius cum armorum & instrumentorum bellicorum copia vaginæ quidem advehuntur; sed quando eadem hostibus subvehere non licet, cum ensium prohibitione simul vaginarum prohibitio rectius censeatur facta.

§. 17. Exemplum liberi & illimitati ejusmodi commercii, quod libere cum alterius gentis hostibus exercere licet, licuitque, recentior suppeditat Historia facta Lusitanorum & Belgii confœderati Ordinum, qui ann. 1661. sic inter se pacto convenerunt, ut Belgis liceret *res non tantum quæ in Bello nullum habent usum, sed & ad bellum necessarias, v. c. arma, instrumenta bellica &c. alia advehere regnis, provinciis, & terris orbis, sive amice vivant cum Rege Portugallia, sive non.* Ast in pacto (y) Angliam inter & Ordines Belgii Confœderati multum limitato, inter merces contrabandas numerantur balthei unde pyxides pulverariæ & gladii pendent, scloporum thecæ, & quæcunque ad usus belli accomodari possunt; ex paritate rationis ergo mercium harum numero habentur & vaginæ.

x) Artic. Pæc  
inter Reg:  
Portugall. &  
Belg. Confœ-  
der. art. 12.  
y) art 30

§. 18. Quanquam vero is qui extra belligerantes partes positus est, liberum ejusmodi atque ad nullum genus mercium restrictum comœrciũ a belligerantibus postulare suo jure possit, ut sibi liceat cum navibus suis omnis generis merces, tales etiam quæ non nisi in bello usum habent continentibus, ad alterius partis hostes proficisci, ita ut ea de causâ non dicatur violasse pacem, uti Ordines Belgii confœderati, Lusitanico bello superiores, cum tractatus pacis cum Lusitanis haberentur, fecerunt, secuti exemplum Anglorum, qui simili pacto (i) commerciorum cum Lusitanis anno 1654. convenerant, *uti populus Reip. Anglie in navibus suis omnes res, bona & merces, cujuscunque generis fuerint, etiam arma, annonam, aliave similia e portibus & dominiis dictæ Reipublicæ ad quoscunque portus & territoria regis Castellæ tranvehenda, libere exportare possit; utque serenissimus Rex*

z) art. 10.



*Rex Portugallia, seu subjecti, per pignorationes, Repressalias, aut aliam quamcunque causam, dictas naves, bona aut homines ne impediunt, quo minus ad portus & territoria dicti Regis Castella, tuto navigare, ibique commercium habere possint: Attamen cum belligerantibus adversus se invicem sua jura sint ex statu & jure belli nata, quod neque naturæ neque gentium jus tollit, inter partem quietam sive tertium, & belligerantem temperamentū aliquod, ex præcepto juris naturalis etiam, intercedat necesse est, ut & pacati jura, si ille de commerciorum libertate plena, quam salvo naturali & gentium jure, uti recentiora testantur exempla, a belligerantibus postulare licet, nihil sibi detrahi velit, & jura etiam belligerantium quæ ex belli statu & legitima belli ratione habent, illibata maneant; cum ob gentium paritatem & his & illis jus gentium & naturæ consulere intendat, & tam tertium erga belligerantes, quam hos erga illum vicissim obliget.*

§. 19. Nascuntur autem jura belligerantis adversus pacatum, qui neutras vult sequi partes, quando is cum mercibus suis ad ejus hostes navigare intendit, ex jure quod habet adversus hostes in bello solenni, & statu ejusdem, qui variare solet, & peculiare jus agendi ex necessitate finis juste intenti concedit. Unde in *Tractatu Commerc.* inter Regem Christianissimum & Hansam Teutonicam ann. 1655. solcite distinguitur (a) inter bellum simpliciter, si tali implicari Franciæ regem contigerit, & certum belli statum, quando sc. *urbes atque loca cum quibus Hansæatici commercia alias exercere solent, a regio exercitū fuerint obsessa, ita ut libere quidem omnis generis frumenta illis subvehere liceat orto bello, sed non si regius miles illa impugnet.* Simili pacto (b) atque distinctione Coronæ Galliæ & Reip. Angliæ placuit, ut naves ad populos & subditos alterutrinque pertinentes liberae essent, licet in illis invehantur mercimonia, imo grana, leguminave quæ alterutrius hostium sint; exceptis nihilominus & reservatis mercimoniis vetitis & contrabandis, id est pulvere nitrato, sclopis seu tubis ferreis, &c. quo in casu tam naves, quam apparatus & mercimonia legitima præda erunt: Quod etiam severe exercebitur in eos, qui viros, frumenta, seu victualia quibuscunque locis inferent, ab alterutra parte obsessis. Alius nimirum

a) art. 2.

b) *Tractat. Feder. inter Angliam & Gall. n. 13. ann. 1655.*

mirum belli status est, si exercitu admoto locus impugnatur, non sine bona spe istius expugnandi; alius quando hostiles exercitus & classes in campo, vel mari tantum rem gerunt, mutuusque metus ab urbibus capiendis pares viribus revocat. Prior belli status quinob peculiarem ejusdem habitum, & quod major spes affulgeat juris sui consequendi, propter quod bellum est susceptum, obsessori etiam peculiaria largiatur jura agendi, ne a pari jure suo injuste privetur, quæ proinde posteriore belli facie non tam bene creduntur exerceri adversus pacatos, dubium non est, videnturque pactis suis gentes agnoscere; cum dato certo belli statu habituque, jus quoque detur media, quæ secundum illum belli habitum, tanquam propria & adæquata ad finem belli tam universalem quam particularem ducunt, adhibendi. *Quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, ad ea jus habere intelligimur,* ait Grotius (c). c) Iur. B. P. l. 3. c. 2. n. 2.

§. 16. Cæterum jus illud quod hostis habet adversus hostem suum, in bello solenni inprimis, & peculiari ejusdem habitu, ex quo certa quoque belligerantibus adversus pacatos certis in casibus jura naturaliter nasci diximus, quale sit, explicatur a Polybio (e): Τὸ μὲν γὰρ, inquit (\*), παραρτίοθαι τῶν πολέμιων ἢ καταφθεῖρειν φέρεια, λιμένας, πόλεις, ἀνδρας, ναῦς, καρπὸς, τὰλλα τὰ τῆλοισ παραπλήσια, διῶν τὸς μὲν ὑπεναντίως ἀσθενέστερος ἀνίς ποιῆσαι, τὰ δὲ σφέτεροι πράγματα, ἢ τὰς ἐπιβολὰς δυναμικώτερας. Ταῦτα μὲν ἀναγκάζουσιν οἱ τῶ πολέμου νόμοι, καὶ τὰ τῆτε δικαία δρᾶν, *munitiones hostium, portus, urbes, viros, naves, fructus, & hoc genus alia occupare aut perdere, ut eo pacto res inimicorum atterantur, propria adaugeantur, & ad exitum consilia facilius perducantur, ad hæc omnia leges & jura belli nos cogunt.* Eodem ergo jure ea licebit avertere quæ hostibus subvehuntur, quibus illorum vires augentur, conservantur, atque in quantum per nos stat impedire quo minus illa accipiant, quibus obtentis nos sine nostro, quem licite & juste intendimus in bello, & cum hoc una jure nostro excidamus. Nimirum, uti bene a Grotio (f) monetur, *ad jus agendi multa consequuntur indirecte, & extra agentis propositum, ad quæ per se jus non esset.* Ita qui civitatem quandam oppugnat, obsessosque fame urget, uti in bello justo & solenni id agendi jus habet hostis, e) l. 5. Hist. c. 8. seqq. \*) l. c. c. II.

C

etfi per

f) I. B. P. l. 3. c. 1. n. 4.



etsi per se jus non habeat alterum impediendi, quo minus cum eo cum quo bellum gerit commercia exerceat, illique omnis generis merces quibus indiget subvehat; attamen ad hoc jus agendi quod habet, ut vires inimici quem bello petit frangat, eundemque omnis generis inopia & fame premat, quo etiã jure per pacati jus commerciorum belligerans non privatur, cum parium jura cæteris paribus pari passu semper ambulare debeant, consequitur ex legitima belli ratione, quam jus quiescentis itidem non infringit, jus avertendi ea quæ obsessis subvehuntur, & sic impedimentum aliquod ad tempus tantum certum ponendi pacati commerciis cum obsesso hoste, ita ut sub justis rectique æstimatione atque titulo defendi tunc possit, quod simpliciter & extrajurales circumstantias justum rectumque non foret. Directe & jure ordinario impedita subvectione nocetur hosti, indirecte, per accidens, & jure subsidiario istud impedimentum accidit commerciis amici, & pacati: quemadmodum & in Reip. administratione nonnunquam nonnulla, non nisi modo & ratione extraordinaria & subsidiaria, uti Bæclerus (g) notat, pro certo Reip. statu, ad summum in Rep. finem accommodantur. Ita verum est quod sæpius ex Cicerone (h) moneri solet: Sape tempore fit, ut quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Graviter licet in sequentibus Stoicorum formulam urgeat (\*): Contra naturam esse, detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum.

§. 17. Sequitur ex dictis, jus pacati & tertii cedere debere dato casu, certo nimirum belli habitu, juri belligerantis contra hostem, idque naturaliter. Naturalis enim ordo, quem in agendo ex fine confociationis humanæ, & vitæ socialis ratione, naturæ lex instituit, quemque sequitur in gentium quoque societate gentium jus, omnium juribus consulendo, hic est, ut potior & prior jure is sit, qui cæteris paribus potiori urgetur necessitate. Habet enim & hic locum illud Senecæ (i) pervulgatum: *Necessitas magnum humane infelicitatis patrimonium est; quod quicquid coegit, defendit.* Potior autem est necessitas incolumitatis, quam commoditatis. Quod enim quis salutis causa facere cogitur, ex graviore fit causa, & majori vitæ socialis ratione, quam quod utilitatis tantum causa, ut ea commodius potiare, agitur. In priori autem versatur necessitate, cui cum alio hostilis intercedit inimicitia,

g) ad Hippol.  
a Lap. de rat.  
stat. proleg.  
p. 9.

h) 3. offic. 4

\*) ib. c. 5.

i) l. 4. Com-  
stroch. 27.

inimicitia, cum pacatus posteriorem tantum allegare possit: Salus quippe Reip. in tali commercio, vel ejus ad certum tempus omissione, versari non videtur. Præterea sicut jura universalis & communia suas patiuntur exceptiones, ita dubium non est, quin libertas commerciorum, quam varie limitari atque restringi posse certum est, exemplorum complurium testimonio, quæ apud *Boxhornium* (k) etiam legi possunt, jure speciali & subsidiario, quod belligeranti ex juris naturalis & gentium concessione competit in legitimam juris sui consecutionem adversus hostem, extraordinariam hanc debeat admittere exceptionem, ne invita altera belligerantium parte, inter hostem eumque qui neutras sequitur partes, illa sic exerceatur, ut hostis vires augeantur, belligerantis autem reddatur pejor conditio, ut sine & jure suis cum magno suo malo excidat. Alias jus naturæ & Gentium non omnium æqualem haberet rationem, nec quæ specialiter concessit jura, sufficienter assereret: Sua quippe uti pacatis, ita quoque belligerantibus jura sunt. Quæ uti ad statum humani generis subsidiarium ex quadam extraordinaria pertinent necessitate, ita dubium non est, quin pro indole & habitu hujus statum generis humani ordinariæ, pacis nimirum, formæ ad tempus, eorundemque qui in illo vivunt jura limitent, restringant, & paulum quiescere jubeant. Habitus certe animorum, qualis in utroque belli & pacis statu sit, *Thucydidi* (l) hoc notatur caractere: *Ἐν μὲν γὰρ εἰρήνῃ καὶ ἀγαθοῖς πράγμασιν αἱ δὲ πόλεις, καὶ οἱ ἰδιῶται, ἀμείνους τὰς γνώμας ἔχουσι, διὰ τὸ μὴ ἐς ἀκροῦς ἀνάγκας πίπτειν. Ὁ δὲ πόλεμος ὑφελὼν τὴν εὐπορίαν τῶ κατ' ἡμέραν βίαιος διδάσκαλος, καὶ πρὸς τὰ παρόντα τὰς ὀργὰς τῶν πολλῶν ὁμοιοῖ, in pace & rebus secundis, tum publice, tum privatim melius homines sentiunt, quod in odiosas necessitates non incidunt. Bellum vero, copiam rerum subtrahens quotidiani victus, violentus magister est, & ad presentem conditionem impetum multorum accommodat.* Mirum ergo non est, pacatum & belligerantem libertatis commerciorum causa facile collidi, altero alterius jura suis potiora esse ægre agnoscente. Æquitatis denique summæ est, si plurium jurebus simul ob peculiarem rerum statum satisfieri non possit, eum qui cum minori, facile tamem reparabili, imo nullo damno aliquid facere potest, cedere illi, qui non nisi cum præsentem, eo-

q) Apolog. pro  
Navigat.  
Holland.  
p. 10. 191

r) l. 3. fol. 110.  
Edis. Græc.



n) *Hist. l. 9. c. 14. inr.*

o) *l. 25 38.*

p) *l. 2. B. Perf. f. 153. 2. Bel. Vand. f. 204. q) l. 9. c. 13.*

r) *l. 1. de l. B. c. 21.*

que maximo & vix reparabili damno id admitteret. Ita vero se res habent pacati & jura commerciorum cum alterius hoste, res item atque jura alterius partis belligerantis, dato obsessæ urbis casu. Κραλεῖ, inquit Polybius (n), ἐπὶ πάντων μὲν τῶν ἀνδρωπέων ἔργων ὁ καιρὸς, μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν, occasio enim cum in omnibus hominum actionibus dominatur, tum in bellicis maxime. Rationem dat Livius (o): Quia si in occasionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam querare, Similia Procopius (p) passim monet, ostenditque laudatus modo Polybius (q). Spes vero potiundæ urbis minueretur, imo occasio ejusdem capiendæ amitteretur facile, si obsessæ necessaria subveherentur: At qui neutras sequitur partes, facilius apud alios, vel etiam alio tempore, majorique haud raro pretio, merces suas divendere potest. Unde Albericus Gentilis (r), tolèrent, inquit, pacati sc. de quibus sermo jam, id mali ad tempus. Id nec est impediri commercium, ut neque cum nisi ad loca aliqua impeditur.

§. 22. Temperamento itaque aliquo utriusque partis juribus & utilitatibus consuli jus vult Naturæ & Gentium. Jus pacati & qui neutras sequitur partes, in statu naturali, antequam factò & pacto humano ratio commerciorum aliter ordinetur, hoc dat facultatis, ut liceat jure naturæ per se non repugnante cum omnibus gentibus, seu cum aliis in pace vivant, sive cum iisdem bellum gerant, commercia sic exercere, ut omnis generis merces, sive usum in bello tantum habeant, sive tam extra bellum, quam in bello, illis subvehantur, nisi altera lædatur, vel se lædi reputans ideo tali commercio contradicat. Hoc enim discrimen, quod merces aliæ sunt, uti loquuntur, de contrebände, aliæ non, jus naturæ definite non constituit, quod lege naturali permittente juris tantum voluntarii est, humani nimirum instituti, quo etiam definitur, quæ merces de contrebände & prohibitæ sint, & quæ non sint, ceu ex gentium Tractatibus commerciorum constat; urgere licet certo rerum statu jus naturæ possit, ut ita constituatur. Ita non obstante jure privato, naturali hoc commercandi libertate & facultate usi sunt Angli, & navis Anglica, quæ onusta aliis mercibus pluribus & aliquanto pulvere tormentario, & simili pauculo, uti loquitur Albericus

bericus Gentilis (s), apparatus proficiscens Constantinopolim, capta s) *Ad Voc.*  
 est à Sardis & Melitensibus, Anglis injuriam conquerentibus; *Hisp. l. 1. c. 20.*  
 quorum patrocinium in se suscepit Gentilis, negans (t) eam ve- *p. 81*  
 vitorum vectionem esse per se talem, atque vetitum esse arma fer- *t) p. 88. 89.*  
 re ad Turcas, quæ contra Turcas, vel Persas verisimilius sint futura in  
 usu: cum nullus dubitet, licere juvare infideles contra infideles, An-  
 gli etiam per placita Elisabethæ ejusmodi vetita, uti habentur, quo-  
 cunque possint portare, dum non ad hostes Angliæ. Uti vero sua quie-  
 scenti inter armatas gentes jura sunt, ita non minus armatarum  
 gentium jura vim habent pacatas obligandi, ne istæ suorum ju-  
 rium justo liberiori usu armatarum jura turbent vel infringant,  
 cum hæc ex gentium & naturæ jure æque integra atque illæsa  
 manere debeant, atque illa, ceu in superioribus explicatum. Un-  
 de cum & armata gens hoc jus ex naturalis & Gentium juris  
 concessione habeat, ut se tueatur, declinetque ea quæ nocitu-  
 ra videntur (u), vel uti Elisabetha apud *Camdenum* (x) Polonico  
 legato respondit, provideat ne damni quidquam aliunde sibi exi- *u) Cicer. 1.*  
 stat; commerciis quoque pacatæ gentis cum suo hoste, sibi *Offic. 4.*  
 certo damno futuris, belligeranti ne talia fiant intercedere lice- *x) Elisabeth.*  
 bit, quando rerum suarum statum in tali periculo versari videt. *ad Ann. 1597.*

§. 23. Ne itaque ex collisione partium sua jura stricte  
 urgentium bellum exoriat, temperamento quodam juribus,  
 utilitati, & paritati illarum consuli jus naturæ vult. Id vero cum  
 pro temporum, & status rerum mutatione variet, nec eodem  
 semper se habere modo possit, jus naturæ nihil definit, sed  
 Gentium arbitrio illud reliquit, à quibus pacto, quod sua fre-  
 quentatione & communiori usu in gentium jus fere abiisse vi-  
 detur, illud definiri solet. Extra pacti tamen rationem, si juxta sta-  
 tum naturalem temperamentum hoc consideratur, ad æquitatem  
 naturalem proxime accedere, & juri proin naturali quam maxime  
 probari videtur, si belligerans ad juris sui executionem, quan-  
 do, ut *Grotius* ( ) casum format, oppidum obsessum tenet, aut *y) I. B. P. 3.*  
 portus clausos, & jam deditio aut pax expectatur, rerum sub- *l. 5.*  
 vectionem à pacato factam impediturus, vel ipse merces ab illo  
 qui eas advexit soluto pretio emat, si illis indiget, vel si illas non  
 expetit, advehentem cum nave sua bonisque illæsum abire, &  
 alibi sua commercia exercere sinat, etiam quando obsessori mer-



z) Art. 20.  
 a) Contin.  
 Aff. Publ. t. 7.  
 add. Mar-  
 quard. delur.  
 Merc.

b) Art. 20.  
 \*) Hist. Belg.  
 l. 24. f. 268.

c) I. B. P. 2. 16.  
 13. ad. Alber.  
 Gentil. I. B. l.  
 3. c. 18.  
 d) l. 3. c. 7. 14.  
 sq.

e) Dec II. l. 5.  
 f. 239.

f) Iur. Bel. l.  
 3. c. 18. p. 648.

ces allatas vendere noluerit : Qualis æquitas naturalis observa-  
 ta fuit in *Tractatu Commerciorum* (z) inter Regem Christianissi-  
 mum & Civitates Hanseaticas, quem exhibet *Londorpius* (a), cu-  
 jus verba infra adducentur. Et sane hoc modo libertati commer-  
 ciorum & juribus pacati nihil decedit, nihilque eidem damni in-  
 fertur, ordinentur licet illa, secundum ordinem vitæ socialis :  
 Armatus etiam de præstito hostibus suis auxilio in sui damnum  
 jure queri non poterit. Abusus commercandi juris atque liber-  
 tatis est, quando sub commerciorum nomine favorabili alterius  
 hostibus auxilia feruntur, quemadmodum & alias factis vere ho-  
 stilibus amicitiaæ titulus prætendi solet. Tale ne quid committatur,  
 solícite pacto expresso gentes cavere solent, ut anno 1604. fa-  
 ctum tradit pacificatione Hispano - Britannica (b) *Emanuel de*  
*Meteren*. (\*) Exempla licet etiam non desint fœderum, quibus sal-  
 vis licebat & licuerat fœderato auxilia submittere alteri, etiam ad-  
 versus eum cum quo fœdus initum fuerat. Exhibet illa *Grotius*  
 (c), defenditque, *non pugnare cum fœdere* eo etiam in casu, quo  
 expresse id non est cautum, *ut quos alii offenderent, hi defende-*  
*rentur ab aliis, manente de cætero pace*. Sed negavit id olim  
*Iustinus* (d), negaruntque Veneti simili fere casu contra Colo-  
 mannum, Ungariæ Regem, apud *Bonsinium* (e), risitque *Brissa-*  
*cus* apud *Alberic. Gentilem* (f), cum *jaçtaretur bellum geri Par-*  
*mense sine ulla offensione fœderis inter Hispanum & Gallum ;*  
*quum ille Pontifici, iste opem ferret Parmensi, invicem belligeran-*  
*tibus ; adversus eundem hostem, & non hostem pugnare eodem*  
*tempore ridiculum* contendens ; minime licet Gallo Duci subscri-  
 bente *Gentile* : Quamquam nec hujus disciplinae simpliciter nobis  
 subscribendum videatur, de qua re alias.

§. 24. Cæterum an ejusmodi commercium cum alte-  
 rius hostibus, merciumque quibus isti noceri potest transvectio  
 ad eosdem, pro auxilio submisso haberi jure possit, ita ut trans-  
 mittens hostium loco mereatur habere, merito quæritur. Sane  
 si auxilium dicimus id, quo alterius vires augemus, & invalidas  
 firmiores reddimus, auxilium erit quoque parti infirmiori, et-  
 si ab altero commercii tantum gratia transmittitur, non auxilii  
 ferendi causa, nec animo hostili, quando ad eandem pecunia,  
 arma, comæatus, quibus indiget in bello quod gerit, transve-  
 huntur.

hantur. *Albericus Gentilis* (g) *omnis, inquit, qui audaciorem reddit hostem, opem dicitur & auxilium ferre hosti.* An vero transmittens qui neutras sequitur, & sequi vult partes, hoc nomine mereatur, ut hostium loco habeatur, pro varietate temporum & status, habitu item potissimum animorum, diversimode constat sensisse gentes. Romani, scriptore *Livio* (h), Philippo Macedoni bellum inferre decreverunt, cum ob infidam adversus *Aetolos* aliosque regionis ejusdem socios pacem, cum ob auxilia cum pecunia in *Africam* missa *Hanibali* *Pœnisque*. Apud *Procopium* (i) *Amalasuintha* in hostium partibus ait esse, qui ad bellum necessaria, quæ in bello tantum usum habent, hosti administrat, probante *Grotio* (k). Propiora etiam tempora dederunt exemplum *Elisabethæ Angliæ Reginae*, intercipientis per classarios suos in ipsis *Ulissiponis* faucibus, extra territorium *Angliæ marinum*, uti *Seldenus* (l) loquitur, naves *Hanseaticas* mercibus & annona onustas, & praternavigata à tergo *Scotia* & *Hibernia* in *Hispanorum* usum advenientes; *Thuano* (m) etiam commemoratum, qui *Hanseaticis* querelas ob interceptas naves moventibus libro *Apologetico* responsum postmodum refert. Respondisse conquerentibus civitatibus *Reginam*, ait *Albericus Gentilis* (n), non esse hoc colere cum utrisque amicitiam, si alteros ledas, juves alteros: at imo hoc esse auxiliari hostibus: & cum hostibus adversum alios facere. Ipsius autem *Gentilis* de hoc argumento hæc est *Philosophia*, sat generalis: *Hostis censendus, qui facit quod hosti placet*: qua ipsam *Anglorum* causam, de qua supra, cujus *Advocatus* esse vult, prodit.

§. 25. Verum multum nos interesse censemus cum *Grotio* (o), quales sint merces quæ transmittuntur ad belligerantis hostes, an in bello tantum usum habeant, an sint usus anticipatis. De illis enim qui indigenti subministrant instrumenta militaria, eundemque validum ad actiones bellicas reddunt, queri potest hostis, si velit, quod *Feldenus* (p) contendit, quod ut principium quodammodo ad actionem hostilem concurrant; & proinde actione hostili teneantur. Videndum dein, quod hujus generis merces concernit, an ejusmodi transvectio mercium & commeatus ad alterius gentis hostem, instituat ex fœdere commerciorum, antiquiori inprimis, an vero ex jure

g) l. 2. de l. B. c. 22.

h) l. 31. c. 1.

i) 1. Goth.

k) l. B. P. 3. 1. 5.

l) Mar. Claus. l. 2. c. 20. p. 381

m) l. 96. f. m. 467.

n) Jur. Bel. l. 2. c. 22. p. 433.

o) l. B. P. l. 3. 1. 5.

p) In Grot. Not. 3. 1. 5. p. 410.

q) *Hist. l. 7.*  
c. 2.

r) *Advoc.*  
*Hisp. l. 1. c.*  
20. p. 82. 92.

s) *l. c.*

t) *Jur. Mar.*  
*l. 1. c. 4. § 9.*  
*ad. Meteran.*  
*l. 15. Hist.*  
*Belg. f. 833.*

jure fœderis cujusdam armorum. — Hoc casu hostilem præsumere licet animum, non illo, nisi aliæ adsint conjecturæ & indicia. Hujus exemplum est Philippus, quem jure Romani ceu hostem tractandum censuerunt, cujus fœdus armorum gratia cum Hannibale adversus Romanos ictum, ejusque formulam exhibet *Polybius* (q). *Elisabethæ* vero responsum civitatibus Hanseaticis datum quod attinet, quod cum *Amalafuinthæ* verbis fere coincidit, quando & quo in casu admitti debeat, ipse *Albericus Gentilis* (r), *Advocatus Anglorum conquerentium injuriam*, quod *navis Anglica onusta aliis mercibus pluribus & aliquanto pulvere tormentario Constantinopolim proficiscens, capta esset a Sardinis & Melitensibus*, explicat, notando, *in causa illa Hanseaticorum illos antea per rationes præmonitos, tantum ad tempus suspendere commercium rogatos fuisse.* Historiam tractatus hujus prolixius explicat *Seldenus* (s), adducens verba Anglorum ad Hamburgensium Oratorem, cum Hanseaticorum nomine *liberam omnium mercium transvectionem ad Hispanos ab Angla peteret: Qui scil. ausu temerario secus facerent, pœnas penderent suæ indomitæ licentiæ, si in classarios aliosve subditos Majestatis Angliæ inciderent, factis ipsorum rebus & mercibus quibuscunque capientis, sic præter voluntatem suæ Majestatis vectis & captis: Unde cum nonnullo interjecto tempore, ann. 1589. Germanorum mercatorum naves alia via ad Hispanos proficiscentes ab Anglis interceptæ essent, querentibus respondit Regina apud *Loccenium* (t): *Se præmonuisse, ne apparatus bellicum, cujus nomine etiam videtur una voluisse complecti frumenta, quod ut extra bellum, ita quoque in bello illorum usus esset, ad hostes regni subveherent, subvehentes licite interceptisse, nec aliter potuisse, nisi perniciem sibi & suo populo attrahere maluisset.* Præmonentibus vero Anglis, quod *Osterlingi*, sive Hanseatici, alterius gentis cives, non statim paruerint, sed extra territorium Angliæ marinum, alia via, amico de cætero erga Elisabetham affectu, & paria Anglis præstare parati, sui commodi gratia, & sic mercatorio studio *Ulissiponem* contenderint, Anglis ex regio permissu in simili casu similia facientibus in commercio cum aliis gentibus, Turcis etiam, an meruerint, ut illorum merces, *frumenta & apparatus**

*apparatus nauticus, Loccenio (u) interprete, ab Anglis retine-* u) l. c.  
*rentur, non omni forte dubio videtur carere: Præprimis quod*  
*attinet frumentum. Nec puto gentes passuras, viribus præprimis*  
*prohibenti pares, quoad frumentorum subvectionem sua com-*  
*mercia ita alieno subijci arbitrio, ut cum in gratiam belligeran-*  
*tis abstineant a loco obfesso, a cæteris quoque gentis sibi ami-*  
*cæ locis se patiantur excludi. Bella alias quibus imperii gloria* x) l. Offic. 12.  
*proposita est, minus acerbe sunt gerenda, monente Cicerone (x). Quan-*  
*quam enim obligatio quædam tertii, ejusq; qui neutras sequitur*  
*partes, erga belligerantes & eorundem jura detur, ceu expli-*  
*catum, quali tamen temperamento natura juribus utriusque par-*  
*tis, earundemque paritati consulere intendat, simul exposui-*  
*mus, & exemplo fœderis inter Regem Christianissimum & ur-*  
*bes Hanseaticas, singulari æquitatis exemplo contracti, monui-*  
*mus. Demetrium cum Atticam teneret exercitu, jamque vici-*  
*na oppida Eleusina & Rhamnuntem cepisset; Athenis famem*  
*facturum, navis frumentum inferre parantis & magistrum*  
*& gubernatorem suspendisse, atque eo modo deterritis cæteris poti-* y) l. c. 3. 1. 5.  
*tum urbe esse, refert quidem ex Plutarcho Grotius (y); sed & si-* z) l. 1.  
*mul monet ex Polybio (z), Carthaginenses aliquando Romanos,*  
*qui suis hostibus commeatus attulerant, cepisse, reddidisse autem*  
*eisdem repetentibus Romanis. Nimirum pacto expresso quan-*  
*do nihil constitutum est, in statu naturali viventibus parum*  
*securitatis sperare licet; unde complura fiunt, prout status uti-*  
*litas, fiducia potentiæ, spes lucri sollicitate videntur, quibus de-*  
*in, quo per stratagema politicum consuetudinis nomen favo-*  
*rabile adhibere liceat, pretextus queritur, exemplo quidem non*  
*destitutus, sed approbatione omnium nunquam defensus, monen-*  
*te Bœclero. (a) Autor certe est Thuanus (b), repetitque Mete-* a) Com. Grot.  
*ranus (c), rerum peritiores existimasse, imprudenter a Regina* l. 2. c. 4. p.  
*atque adeo ab Anglis factum esse, ut tam alieno tempore civi-* 117.  
*tates Vandalias cum Polonia, Dania, Suecia regibus societate* b) l. 96. f. m.  
*conjunctas, exigui lucri causa irritaverint; nam inde evenire posse,* 468.  
*ut ad tantam injuriam ulciscendam Hispanos annona, navibus* c) Hist. Belg.  
*& apparatu bellico juvent, quibus ille instructus novam classem* l. 15. f. 833. sq.  
*instruat, &c. Ne dicam, Angliæ Reginam Mariam probaf-*  
*se in subditis, cum Sueci damno, commercia talia cum Russis,*  

D  
Gustavi I.

d) *Hist. Suec.*  
l. 5. p. m. 337.

e) *Obsid.*  
*Bred. p. 51.*

f) *Art. 10.*

g) *I. B. P. 3.*  
4. 4.

Gustavi I. hostibus, præ se ferendo, *se suis subditis libertatem navigandi, quo velint, ex privilegio nactis, inhibere non posse,* scriptore *Loccenio* (d), quæ *Elisab.* in aliis gentibus, Polonis & Germanis improbavit, ceu juri gentium contraria: Vel hostes sibi invicem annonæ subvectionem concedere, & concessisse haud raro. Tradit certe *Hermannus Hugo* (e), Spinolam hostibus quosdam qui castra Hispanica annona pabuloque adjuverant abducentibus, talione usum cum idem fecisset, mox querelis hoc nomine motis respondisse: *Jam sic presentis belli rationem divisam esse, ut cum hostes quocunque modo annona subvectionem impedirent, ipse eam vicissim prohibere niteretur. Et si hoc sibi remitti vellent, remitterent ipsi de suis recipiendis, sin id tenerent, se quoque illud retenturum.* Ordines etiam Belgii confœderati cum Cromvvello ann. 1652. bellum gesturi, illas tantum Britannos petentes naves intercipi jusserunt, quæ veherent res ad usum bellicum pertinentes, & apparatus nauticum. Pacto vero quod nonnunquam ita gentes inter se convenerint, ut media inter belligerantes in alterius gratiam ab omni commercio cum ejus hoste abstineret, singulare est. Sic enim Pace Pyrenæa (f) convenerant Reges Potentissimi: *Omnibus Christianissimi Regis subditis fas sit in omnibus regnis, regionibus & statibus, quibus cum Gallie pax, amicitia aut Neutralitas intercedit, aut intercedet, excepta sola Lusitania, (hoste tunc temporis Hispaniæ) ab ipsa conquisitis & adjacentibus regionibus, de quibus aliter per articulum quempiam presentis tractatus dispositum est, tuto & libere navigare & negotiari &c.* Verum hoc casu res nullam habet difficultatem.

§. 26. Variat præterea & variare potest conditio ejus cum quo alter bellum gerit. Non de eo nunc dicam, cum contingere in bello solenni ut plurimum soleat, ut arma alterius partis plane sint injusta, quid tum liceat; datur etiam bellum minus solenne, quod v. c. cum subditis rebellibus gerendum. Minime jus naturæ rebellibus manifeste talibus, quos a male contentis, quos sic vocant, distinguimus, hic favet, ut in priori casu, ubi *inter duos populos de jure belli pronunciare velle periculosum* interdum videtur *Grotio* (g), quos etiam *more gentium in compositione pacis, quoad belli causam, pro aequalibus censeri*  
*Pufendor-*

*Pufendorfius* (h) docet, non determinato, uter justam bellandi causam habuerit: Tantum abest ut ejusmodi rebelles, cum non sint gens, ad gentium jus provocare possint, quos condatores, ceu fidem in Principem debitam exuentes, auxilio indignos judicant. His quando vel belli, vel status ratio subsidia mittere vicinis & exteris Principibus hostibus suadet, eodem fere jure quo & proditorum opera uti solent id faciunt, hos interim odio habentes; amici tamen id facere non solent, nec salva amicitia id licere creditur, ut quis alterius subditos rebelles in malitia confirmet atque foveat; id quod ne fiat, pacto sibi invicem gentes haud raro promittere solent. Et huc pertinet proprie Grotianum ex *Polybio* (i) supra allatum exemplum. Cum enim Pœni finito primo cum Romanis bello, domesticis suorum qui rebellaverant turbis exercebantur, eos qui ex Italia in Africam navigabant, & commeatus hostibus comportabant, in suos portus deduxerunt; verum Romanis id ægre ferentibus, atque captivos repetentibus, cum gratificati essent Carthaginenses, Romani πρὸς μὲν τὰς Καρχηδονίους ἐπέτρεψαν τοῖς ἐμπόροις ἐξαγαγεῖν αἰεὶ τὸ κατεπιείγον, πρὸς δὲ τὰς πολεμίας ἐκώλυσαν, mercatoribus suis facta potestate, ut ad Carthaginenses necessaria exportarent: ne ad eorundem inimicos accederent venturerunt. Idem de commercio quod usu plaustrorum itinere terrestri exercetur habendum.

§. 27. Non parum etiam refert, an talia commercia cum alterius hoste a medio exercentur per ditionem ejusdem belligerantis, sive terrestrem, sive marinam, an vero per alienam. Certe quin major comœrcandi libertas posteriori casu detur, ordinata licet & tum, quam priori, dubium non est (k): cessat enim ibi vis imperii & juris territorialis. Unde quamquam Angli non Hanseaticis tantum Civitatibus, sed & *Seldeno* (l) teste, *Sueciae & Daniae Regibus*, liberum per mare Anglicanum transitum cum annona in Hispaniam, non solum domini maris causa, sed inprimis ne hostibus comœrcatus adferrentur, negaverint; attamen cum in mari, cujus se dominam non obtendebat Angla, in ipsis *Ulissiponis* faucibus suas naves interceptas cognoscerent, non pari tulerunt id animo Hanseatici, quo denegatum per mare Anglicanum transitum passi fuerant,

D 2

h) *Elem. Jur. Vni.* l. 1. def. 12. n. 59. p. 184.

i) l. 1. c. 22.

k) *Strauch. de Imp. Mar.* c. 8. §. 3.

l) *Mar. Claus.* l. 2. c. 20. p. 380. 383.

erant, sed gentium & commerciorum jura læsa hoc Anglorum facto, in alieno territorio vim inferentium, conquæsti sunt.

§. 28. Cum itaque sensus æquitatis naturalis mortales non contineat, sed jam modestius, jam violentius jure suo bellantes utantur, prout singularis aut perturbationis animi movet instinctio, uti Bœclerus (m) loquitur; pacto paritati & juribus gentium, quæ gentium & naturæ jus salva volunt, consulendum est in hoc commercii exercitio. Variavit vero, variatque hoc pacti genus, pro temporum, consiliorum, rerumque status atque aliarum circumstantiarum diversitate. Jam enim talia pacta cum amplissima concessione ineuntur, ita ut commercium cum alterius hoste sit concessum sine ulla restrictione mercium, non tantum quoad res quæ tam in bello, quam extra bellum usum habent, ut sunt pecuniæ, comæatus, naves & quæ navibus adsunt, sed & quoad res, quarum usus in bello tantum datur. Quali genere pactiois, rarius licet sit, supra vidimus convenisse Lusitanos & Anglos, Lusitanos item & Belgii Confœderati Ordines. Jam non nisi quam maxime restricta placet conventio, a commercio quiescentis cum hoste excludens etiam res quæ extra bellum quoque usum habere possunt, atque habent. Elisabetha certe Angliæ regina non solum Hanseaticis mercatoribus commercium, quo Hispano frumenta & apparatus nauticum subministrabant, non concessit, provocans ad privilegii formulam ab Eduardo I. indulti, quo *diserte caveri* ait (n), *ne merces in terras manifestorum & notiorum hostium regni Angliæ deveherent*; sed & Daniæ Regis Christiani IV. legatis, *cum omni instantia*, uti ex Tabulis legationis ejusdem refert Seldenus (o), *frumenti aut annonæ liberam vectionem Hispaniam versus petentibus, hoc datum fuit responsum: Reginam nulla ratione induci posse, ut illud consentiat fieri.* Imo ne quidem apparatus nautici liberam ad Hispanos transeccionem ab Anglis *splendidissimam hanc legationem*, uti Meterano (p) laudatur, obtinuisse, idem memoriæ prodidit scriptor. Quam impotenter Sigismundi Poloniæ Regis Legatus Paulus Dzialinus, ob interceptas Hispaniam petentes naves, coram Elisabetha se gesserit, & quam graviter Heroïna hominem increpauerit, ex Camdeno (q) & Thuanò (r) notum est, *Quanquam vero quas ob causas*

m) *Diff. 5. ad Grot. p. 205. sq.*

n) *Loccen. de Imper. Mar. l. 1. c. 4. n. 9.*

o) *Mar. Claus. l. 2. c. 20. p. 385.*

p) *Hist. Belg. l. 18. f. 1021.*

q) *Elisab. ad an. 1597.*

r) *Hist. l. 119. f. m. 764.*

causas commercandi libertatem Angli sic restrinxerint, ex scripto, quod Robertus Ebroicus Essexiæ Comes, & Carolus Howardus, summus maris præfectus ann. 1596. evulgaverant, quo enixissime per Deum cunctos qui Hispanica ditio non erant, & nihilominus Hispanos navibus, annona, apparatu bellico hucusque juverant, obtestati sunt, ut naves suas ex Lusitania aliisque Hispania portibus abducere velint, ni hostiliter secum agi malint, satis conslet, cujus summam Thuanus (s) exhibet: Pacti tamen potius est expressi, quam juris gentium, si obligare debet, præsertim quod attinet annonæ subvectionem. Ita Belgii confœderati Ordines & Sueci ann. 1645. inter se convenerunt (t), ut neutri confœderatorum hostem sui confœderati commeatu, pecunia juvare liceret. Idem Fœdere Pacis ann. 1654. Reipublicæ Anglicanæ & Belgis unitis placuit (u). Exemplum similis conventionis in fœdere Pacis inæquali quoad belli & pacis commercia exhibet, si ex antiquitate id repetere velimus, formula pacis a Romanis Antiocho datæ, apud Polybium (x).

s) l. 116. f. 680. sq.

t) Art. 6.

u) Art. 7.

x) Legat. Excerpt. 35.

§. 29. Medium quasi locum inter has conventiones ille modus paciscendi obtinet, qui & recepta consuetudine, ad quam etiam nullo pacto inter gentes existente provocari solet, in G. I. hinc abiisse credi potest, quo pacato licet cum fœderati hostibus commercia quæcunque libere exercere terra, marique, eorumque portus, regiones, urbes & emporia, uti commodum visum fuerit adire, cum libera abeundi potestate, ita ut ad eosdem frumenta quoque exportare liceat, modo obsessis non subvehantur. Quo in casu jubentur commercia in talia loca tam diu suspendi, donec vi aut pactis illa occupata fuerint, vel expugnatione desperatâ obsidio vel circumsessio soluta. Convenitur etiam, ne ad hostes transvehantur talia, quibus ad bellum gerendum contra fœderatum invalescunt, & quæ quod non simpliciter, sed respectu certi status belli prohibentur, hæc merceres prohibita, vulgo de *contrebande*, appellantur, quod bello tantum, certe potissimum, sint accommodæ

§. 30. Solent hæc merceres peculiari nomine hodie appellari de *Contrebande*. Qua appellatione uti intelliguntur merceres quæ exorto bello censentur esse prohibita, nec hostibus subvehenda, ita pacto definitur (y), cum jus naturæ gentium libertati

y) conf. Artie. Pac. inter Angl. & Belg. Confœd. an. 1654. art. 7.

hoc



z) *Jur. Mercat. P. II. f. 653.*

a) *Art. 6.*

b) *Art. 2.*

c) *Art. 3.*

d) *Artic. 12.*

hoc reliquerit, an aliquod mercis genus *de contrebande*, & quænam merces *de contrebande* esse debeant. Variat enim hoc pro ratione consilii singularis, belli item, atque status hostilis, ceu manifeste patet exemplo *Edicti Danici*, apud *Marquardum* (z), cum inter Septentrionis Reges bellum flagraret, anno 1659. Fœdere pacis inter Anglos & Lusitanos ann. 1655. icto; item hos inter atque Belgii Confœderati Ordines ann. 1661. percusso, alium de mercibus contrabandis habetur silentium. Anglis atque Belgis sibi facultatem reservantibus ad Portugalliæ hostes exportandi arma & annonam. Fœdere inter Suecos & Belgas an. 1645. inito (a) mercibus contrebandis a numeratus fuit commeatus. Cautum enim fuit, *ut neuter Confœderatorum hostem, qui nunc in presens hostis est, aut deinceps enasci poterit, consilio, ope, pecunia, commeatu, milite, navibus, nautis, armis, pulvere pyrio, aut munitionibus, ullisve bellicis rebus aliis juvaret.* Sed in Tractat. commerciorum, qui inter Regem Christianissimum Ludov. XIV. & Hansam Teutonicam convenit, annonæ subvectio ad hostes non obsessos à regio milite quidem conceditur (b), mercium vero *de Contrebande* nomine intelliguntur tantum *munitions de guerre, armes à feu, sçavoir canons, mousquets, mortiers, bombes, petardes, grenades, saucisses, cercles, affuts, fourchettes, bandouliers, poudre, meche, salpêtre, & toutes autres sortes d'armes, comme picques, espées, morions, casques, cuirasses, hellebardes, javelots, & autres armes servans a la guerre, ensemble des chevaux, des cordages, & des toiles navales, qui ne puissent servir qu'à faire voiles.* Tractatu commerciorum inter Cromwellum & Ordines Belgii uniti (c), mercibus interdictis annumerantur *bombardarum exiguarum theca, balthei, & quæcunque ad usum bellicum formari possunt.* Non minus solícite hoc genus mercium definitur Fœdere *Labiavensi* (d), inter Regem Suec. Carol. Gustav. & Electorem Brandeb. an. 1656. his verbis: *Pro mercibus bello accommodis, vulgo von Contrabande, haberi utrinque debent sequentes: Gladii, enses, acinaces, frameæ, cuspides, lanceæ, hastæ, bipennes, arcus, tela, bombardæ cum suis igniariis, & aliis ad eas pertinentibus, furcæ sclopetaria, fomites, alias Lunten / tormenta cum suis pertinentibus, pulvis tormentarius, Salpetra, tubi Catapultarij, vulgo mortaria, indutiles stlopi, vulgo Petarden / ignes missiles, glandes*

des igniaria missiles, vulgo grenades, globi majores & minores facti ad ejaculandum, cassides, galeae, thoraces loricatorum generis, & cumprimis illi qui vocantur courasses; scuta & similia armatura genera; ut & quaecunque alia instrumenta bello tantum inservientia. De pecunia & com meatu nulla hic fit mentio. Unde colligitur, foederatos hosce Principes nomen mercium contrabandarum non tam late extendere voluisse, atque alias factum constat. Obligatio itaque inter gentes quoad ea quae sunt usus ancipitis, ut ex mercibus aliae sint de contrebande & prohibitae, aliae permissae, tantum est ex pacto. Disceptationis vero, quanam merces interdictae & minus tales esse debeant, quaeque interdum exoritur, exemplum dederunt Acta Britanno-Belgica ann. 1652. Cum enim Ordinum Legati Propositione sua (e) de stabilienda pace, sub nomine illicitorum & interdictorum mercimoniorum comprehendendi nolissent triticum, secale, aliudve frumenti genus; pisa, fabas, sal, vinum, oleum, & quidquid requiritur ad alendam & sustentandam vitam: Consilium status Reip. Angl. in Responso (f) suo, com meatus quibuscunque generis apparatus eodem numero cum armis aut instrumentis bellicis habuit. Mansitque quaestio haec etiam in Pace Westmonasteriensi (g) ann. 1654. indecisa, dilata specificatione mercium, quae prohibita aut contrebande censeri debeant, in convenientius tempus, donec ann. 1656. commerciorum tractatu, qui inter gentes has convenerat, definitioni mercium prohibitarum adjicerentur pecunia, & quae ad vitam alendam pertinent. Inter Suecos etiam & Anglos cum ann. 1654. de foedere commerciorum ageretur, placuit designationem & catalogum mercium contrabandarum differri (h), apud Londorpium (i).

§ 31. Ex his quae haecenus allata sunt patet, nonnulla circa nostram quaestionem esse juris Naturae & Gentium, nonnulla vero à juribus hisce liberae gentium dispositioni atque arbitrio, pactoque relinqui. Juris naturalis, quod etiam Gentium jus praecipit, hoc est: Neque à tertio, neque ab altera belligerantium parte quicquam committendum esse, quo vel tertii & medii in bello, vel ejus qui bellum gerit, jura minuuntur atque turbantur; cum & pacati, qui commercia exercet, & belligerantis, qui subvectionem illam qua hosti varia subministrantur aegre fert, juribus & paritati consuli debeat. Unde quando ille qui ab armis

quiescit

e) Art. 31.

(f) ad Art. propos. ad art. 31. §. 31. g) Art. 7.

h) Art. 11. i) t. 7. Act. f. 899.

k) l. 5. Ethic.  
c. 10.

quiescit jus & libertatem commerciorum urget, altera parte bel-  
ligerantium, cujus hosti commercio pacati varia subvehuntur,  
ad sua jura, ne illis excidere cogatur, belli imprimis, quo quo-  
vis modo hosti nocere licet, provocante, opus est temperamento  
aliquo, quod, uti *Aristoteles* (k) de eo quod æquum est loqui-  
tur, sit δίκαιον, καὶ βέλτιόν τινος δίκαιε, & jus & quodam jure  
melius, ita ut neque iste, neque hæc sit ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖ-  
ρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, seu summum jus urgeat ad iniquam partem,  
sed de jure suo concedat potius: Id quod etiam in Gentium jure  
locum habet, ceu per se necessarium ad ordinem & finem con-  
sociationis gentium, qui in tali & simili casu moderationem ali-  
quam ad æquitatem relatam, nec tamen publicæ & communi  
partium utilitati disconvenientem, ceu unicum quod superesse  
videtur medium urget. Hoc vero cum per transactiones & pa-  
cta tutius fiat, quam si citra conventionem cujusque gentis pu-  
dori id relinquatur, pactioes naturæ & gentium jus hoc nomine  
imprimis suadere, imo & urgere videtur, modum paciscendi libe-  
rum relinquens.

l) Artic. 2.

m) Art. 6. sq.

§. 32. Ex sensu hujus æquitatis naturalis, quæ & in Gen-  
tium jure, quod & ipsum jus sociale est, datur, morem hunc ceu  
communi consensu receptum populi sequi solent, ut pactum  
commerciorum gratia initari, quando quale genus mercium al-  
terius hosti exorto bello subvehere liceat exprimendum, prohi-  
beant subvectionem rerum quæ in bello tantum usum habent,  
atque ordinarie sibi invicem promittant, tale commercium se suis  
esse interdicturos. Patet hoc exemplo fœderis commerciorum  
inter Galliarum Regem Christianissimum & Hansam Teutonicam,  
ann. 1655. (l) Idem factum in Contractu separato inter Hispa-  
niarum Regem & Fœderatos Belgii Ordines, super Commerciorum  
ac Navigationum libertate, Monasterii an. 1648. (m) quo mercium  
prohibitaram, & ad alterius hostes exportari vetitarum nomine  
intelliguntur arma, illorumque apparatus, & quæ ad belli usum  
facta sunt. Non item frumentum, triticum, vel alia genera &  
legumina, sal, vinum, oleum, nec quicquam quod nutriendæ ac  
sustentandæ vitæ ullo modo inservire posset. Quanquam enim in-  
strumentum hujus tractatus commerciorum, quod historiæ Bra-  
chelii Continuator Thuldennus subjecit, conventum fuisse asserat,  
ut sub

ut sub nomine mercium prohibitarum comprehendantur frumentum, triticum, &c. vitio tamen vel Interpretis, vel typographi id accidisse, ex Hispanico & Belgico hujus fœderis idiomate satis constat, quod *Marquardus* (n) exhibet. Idem continet *Tractatus* fœderis Angliam inter & Galliam an. 1655. (o) quo licet utriusque gentis subditis permittatur, *navibus suis vehere mercimonia*, imo *gramina leguminave*, quæ alterutrius hostium sunt, excipiuntur tamen ceu *mercimonia vetita*, & de *contrebande*, res quæ in bello tantum usum habent. *Daniæ Rex Christianus IV.* missis ad reginam Angliæ *Elisabetham* & *Belgii uniti Ordines* legatis commerciorum causa, & societatis hoc nomine ineundæ ergo, sponte promisit, suis se subditis interdicturum, ne arma & alium apparatus bellicum ad Hispanum istorum populorum ista tempestate hostem transveherent, *Meterano* (p) prolixius actorum hujus legationis historiam commemorante. *Sueciæ Regem* etiam *Carolus Gustavus* & *Brandenburgicum Electorem Fridericus Wilhelm.* in fœdere *Labiaveni*, ann. 1656. percussio, pro *mercibus vetitis*, quæ ad cujusvis fœderatorum horum hostes non debeant emitti, *res bellico usui inservientes*, adaptatas & accommodas habuisse, supra jam ex instrumento hujus fœderis (q), quod apud *Londorpium* (r) extat, vidimus. Alia vero occasione *Suecos* non solum res ad belli usum tantum pertinentes pro *mercibus de contrebande* & prohibitis habuisse, sed & ægre tulisse, *Anglos* tempore *Mariæ Reginæ* omnis generis vetita bellica instrumenta, & arma ad *Russos* deportasse, bello cum essent cum his impliciti, supra diximus. Idem sentire *Polonos*, patet ex *Anglorum* responso *Sigismundi Poloniæ Regis Legato* dato apud *Thuan* (s). Ita ut recte dici videatur, res quæ ad belli usum tantum pertinent, quoad commercium pacati & hostem alterius populi, qui bello istum aggressus est, esse & haberi gentium jure pro *mercibus de contrebande*, ita ut pacato citra consensum belligerantis ad ejusdem hostem istas transmittere non liceat, sive pacto expresso iste acquiratur, uti *Angli* & *Belgii uniti mercatores* à *Lusitanis* conventionem facultatem sibi acquisiverunt cum hoc genere mercium, quæ alias prohibita dicuntur, adeundi illorum hostes, sive illimitata aliqua liberrimi commercii concessione facta contineatur.

n) de Jure  
Mercat. P. II.  
f. 152.  
o) Artic. 15.

p) Hist. Belg.  
l. 18. f. m.  
1021. seqq.

q) Art. 12.

r) Act. Publ.  
t. 7. f. 1191.

s) l. 119. f. 765.

§. 33. Fieri etiam potest per conniventiam belligerantium, ut pacato permittatur commercium cum hoste quoad merces, quæ ordinarie alias sunt vetitæ, ita ut ille vel ex silentio eorum, vel alio non facto, aut certe non satis efficaci, quam esset posset, si serio tali commercio impedimentum ponere in animo haberent, talem commercandi facultatem, vel quasi, colligere non dubitet. Quæ tamen permissio uti nudi facti est, & certi consilii, partim quod ejusmodi commercium vires hostis parum augere possit, partim quod ipsi belligeranti æque commodum & utile sit; ita quanquam quod præsens rerum & belli status ita postulat talia fieri nonnunquam toleretur, qui tamen sic tolerant, jus prohibendi, quin & coercendi talem subvectionem mercium contrabandarum, uti loquuntur, ceu injustam, & juris sui executionem impediendam (t), semper in ore habent, quod & tum rigidius urgere solent, quando hostis ejusmodi subvectionem illis intervertere molitur. Ostendimus id supra exemplo Hispanorum & Belgarum ex *Hermanno Hugone* (u). Et hæc vera sunt, tam de maritimo commercio, & quod aqua fit, quam terrestri.

t) *Grot. l. B. P. 3. 1. 5.*

u) *Obsid. Bred. p. 51.*

x) *Artic. 3.*

§. 34. Pacto vero expresso partem obligationis, qua Regi Hispano ex J. G. alias tenebantur Civitates Hanseaticæ, quantum ad merces usui bellico inservientes illius hostibus non subvehendas, remisit Tractatus commerciorum (x) inter Philippum Regem & Hanseam Teutonicam ann. 1647. quando *Hanseatica societati conceditur libera omni tempore cum Belgis unitis, aliisque quibuscunque regia Majest. hostibus, qui sc. tunc temporis tales fuerant, secundum declarationem hoc nomine ann. 1650. inter partes factam; commercandi, eorumque terras adeundi, & relinquendi, merces terra marique inferendi & exportandi facultas. Exceptis his qua bellico usui convenientes ex ditionibus Hispanicis proveniunt.* Restrigitur uti patet, hic interdictum de non subvehendis mercibus alias prohibitis hosti, ad merces hujus generis quæ ex belligerantis terris à pacato hostibus subministrantur, id quod quando committitur, parum abest quin talis belligerans ab ejusmodi pacato habeatur ludibrio. Hinc pacti genus simile etiam quoad merces non contrabandas hosti, Belgio unito, non subvehendas, inter Anglum & Hispanum legitur apud *Metero-*

y) *Hist. Belg. l. 24. f. 268. ars. 14.* *numm (y).*

§. 35. Com-

§. 35. Commeatum vero ejusque subvectionem quod at-  
 tinet, verum equidem est quod Dn. *Rhetius* (x) monet, quod  
*non minus commeatu, quam armis hostibus suppetia ferantur;*  
 quæ etiam causa fuit, quod cum pactis gentium, tum rectorum  
 earundem Edictis, mercibus vetitis seu *de contrebande* res ad vi-  
 ctum pertinentes fuerint annumeratæ. Illud factum constat ex  
*Meterano* (a), Tractatu pacis inter Hispaniæ & Angliæ reges; an.  
 1604. (b) Fœdere inter Suecos & Belgas 1645. (c) & aliâs. Idem  
 exorto inter Angliam & Hispaniam bello *Elisabetha* Angliæ re-  
 gina fecit, notante *Seldeno* (d); Daniæ item Rex *Frideric. III.*  
 qui bello cum Suecis ann. 1659. merces contrabandas esse jussit  
 I. res usui bellico inservientes, arma sc. & apparatus nauticum,  
 II. varii generis cibos & potus: iis tantum exceptis, quos ob  
 Russicum commercium, quod Rex turbari volebat, *Revaliam* &  
*Narvam*, Suecorum in *Esthonia* Emporia, transportare solebant  
 mercatores. III. quicquid ad promovendam mechanicam Sue-  
 corum facere videbatur, & ad opera quæ in Suecia manu sua  
 opifices faciunt requirebatur. Locus ipse insignis est, proluxior  
 etsi quam ut adscribi possit: Licet autem Edictum regium lege-  
 re apud *Marquardum* (e). Verum enimvero cum commeatus,  
 & quæcunque ad vitam alendam pertinent, ad ipsum bellum per  
 se non habeant respectum, & ad bellum continuandum non ma-  
 gis in culpa sint, quam usus auræ & aquarum, quas veneno in-  
 ficere morationum gentium, quæ sensum adhuc aliquem huma-  
 nitatis experiuntur, consensus improbat, gentium jure non vi-  
 dentur esse merces de contrebande, ita ut hac voce in bello &  
 belli tempore audita, statim commeatus subintelligi debeat. Hinc  
 etiam quales merces sub nomine mercimoniorum prohibitorum  
 intelligi debeant, diserte definiti solet, quo sc. uti habet Tracta-  
 tus commerciorum inter Hispanos & Belgas 1648. percussus (f),  
*omnis prorsus litis ac contentionis ansa tollatur.* Nec crediderunt  
*Osterlingi* s. *Hanseatici*, subvectione commeatus ad Hispaniæ pro-  
 vincias in gentium jus à se impingi, quos ad gentium jus provo-  
 casse constat, cum ab Angliæ regina ista ad Hispanos transvectio  
 prohiberetur (g). Ipsi etiam Galli atque Angli, cum *Parmensis*  
*Antwerpiam* obsidione premeret, *lucri faciendi occasionem*  
*captantes, conniventibus, scriptore Thvano* (h), *præfectis, Caleto*  
*Es vici-*

2) *Diss. Jur. Publ. de jure Port. c. 5. n. 6.*

a) *l. c.*

b) *Artic. 8.*

c) *Art. 6.*

d) *Mar.*

*Claus. l. 2.*

*c. 20.*

e) *de Jur. Mercat. P. II. f. 633. sq.*

f) *Art. 7.*

g) *Selden. l. c. p. 381.*

h) *Hist. l. 79.*

*f. m. 677. ad.*

*Meteran. l.*

*12. f. 617.*

Et vicinis locis copiosorem commeatum in Parmensis castra intulerunt. Unde pacto expresse jam numero mercium de Contrebande eximuntur, illisque contradistinguntur, uti factum in foedere commerciorum inter Hispanum & Belgium Unitum; inter Regem Christianissimum item atque societatem Hanseaticam: jam altum de commeatu est silentium, quando merces quæ belli tempore prohibitæ esse debent enumerantur. Constat etiam utrinque ejusmodi subvectionem haud raro tolerari, quod ratio belli ita postulare creditur, vel alia utilitas. *Thuanus* (\*) certe autor est, in Ordinum Belgii Confœderati consilio summa contentione fuisse agitatum, an commeatus & aliarum mercium exportatio ad hostes esset permittenda, ob insigne quod hic perciperetur commodum.

\* l. c. f. 676.

§. 36. Illam interim subvectionem commeatus, & rerum ad vitam alendam pertinentium, juri Gentium contrariari existimamus, quæ instituitur ad loca obsessa, quod belligerantem in juris sui per bellum solenne executione impediatur, hostemque in statu hostili foveat, ad damna ulterius inferenda ei à quo impugnatur: Quod est contra officium ejus qui neutras sequitur partes. Unde *Grotius* (i) quod, inquit, si juris mei executionem rerum subvectio impedierit, idque scire potuerit qui advexit, ut si oppidum obsessum tenebam, si portus clausos, & jam deditio aut pax expectabatur, tenebitur ille mihi de damno culpa dato, ut qui debitorem carceri exemit, aut fugam ejus in meam fraudem instruxit. Nos dicimus, etiam conatum subvehendi esse contra jus Gentium. Nec dubitavit *Appelbomius*, Sueticus apud Ordines Belgii uniti legatus Residens, cum ann. 1656. *Carolus Gustavus Sueciæ Rex* civitatem *Gedanensem* terra marique claudere cum animo suo constituisset, exhibito libello memoriali (k) eosdem monere, abstinerent à subvectione, commerciis, & navigatione ad urbem continuanda, provocans ad Gentium jus, quo commercia cum locis obsessis, & subvectiones ad oppida portusque clausos prohibentur, quod ipsa praxi etiam ordines confirmassent. Autor etiam *Loccenius* (l) est, regem ab amicis Principibus atque civitatibus per literas desideravisse, ut stante bello, ad id necessariis in urbem *Gedanum* deportandis abstinere vellent. Sane quod praxi Ordinum attinet, satis constat, ut alia taceamus, imminente bello

i) I. B. P. 3. l. 5.

k) *Londorp. Act. Publ. t. 7. c. 235. f. 1151. ad. cap. 169. f. 1019.*

l) *Hist. Suec. l. 9. p. 779.*

bello Britannico grayiori illos Edicto ad subditos, cæteras quoque monuisse gentes, abstinerent regnis Britannicis subvehere ad bellum necessaria ; & tractatu commerciorum cum Hispanis an. 1648. ab iisdem (m) inito, à libero cum hostibus commercio, quoad com meatus subvectionem, fuisse *excepta urbes ac loca obsessa, circumsepta, vel infestata* ; quod etiam observatum fuit in fœdere inter eisdem Belgas & Suecos, ann. 1645. (n) Idem legitur cautum Gallos inter & Hanseaticos an. 1655. (o) Inter Gallos & Anglos, in fœdere anno eodem inter gentes has icto (p). Inter Danos & Suecos, apud *Loccen.* an. 1613. Notat hinc *Albericus Gentilis* (q), *vectores com meatuum in obsessam urbem, in opidum obsessum, suspensos alibi, nec semel, nec noviter* (r). Quamquam vero Ordines Belgii fœderati istam Suecorum denunciacionem parum curarint, sed misso cum Classe XL. velorum Obdamio Præfecto maris, Gedanum mari claudi, & commercia cum civitate hac impediri noluerint ; testantur tamen Acta publica ex pacto inter Ordines & Gedanenses inito, qui illorum opem imploraverant, non ex jure quietis, sed ex aliis causis defensionem urbis suadentibus, & vigore fœderis defensivi id fecisse, vel facere videri voluisse Batavos, salvo gentium jure, quo ejusmodi fœdera non prohibentur. Interim ista prohibito commercii cum loco clauso vel obsesso suspendit, ut *Loccenius* (s) loquitur, *tantum ad tempus & quidem in certo loco, non tollit commerciorum libertatem, quæ tota redit cessante bello.* Unde & in fœdere Sueco Belgico ann. 1645. (t) qui *ab usu commerciorum in loca obsessa abstinent*, dicuntur *navigationem suspendere.* Idem de commercio terrestri dici potest.

m) *Artic. 7.*

n) *Art. 7.*

o) *Art. 2.*

p) *Art. 15.*

q) *Hist. Suec.*

l. 8. p. 522.

r) *Jur. Bell. l.*

2. c. 18. p. 387.

s) *Jur. Mar. l.*

11 c. 4. §. 9.

t) *Art. 7.*

§. 37. Cæterum ex hoc quod subvectio rerum quæ in bello tantum usum habent, & ad belli apparatus per se pertinent, ceu mercium jure gentium contrabandarum, juri gentium quoque contrariari statuitur, præprimis si altera pars contradicit, nec consensit, nec ex jure quietis præcise, sed vigore pacti & fœderis tantum præstari possit ; sequitur ex gentium jure quoque posse belligerantem amice alias gentes pacatas monere, rogare, ne commercio suo hostium vires augendo, & hostilia instrumenta tantum ad sibi nocendum apta subministrando, culpa tali sibi damnum inferri causa esse velint. Formula ejusmodi solennis admoni-

E 3

tionis



tionis ad omnes gentes & nationes à Belgis confœderatis factæ ann. 1652. ingravescente bello Britanico, continetur in *Edicto Ordinum ad subditos* navigationis & commercii causa, durante bello Anglo Belgico, promulgato. Rationem admonitionis autem hanc dederunt, *quod per Gentium jus sibi liceat impedire, quo minus hostibus suis ea subvehantur media, quibus suis subditis possint nocere.* Obligare autem amicam & quiescentem gentem, quæ bello non vult implicari, talem admonitionem ex gentium jure, nisi aliunde jus pacato populo quæsitum sit, jam diximus. Simili obligatione gaudet admonitio facta ad alias gentes de non subvehendo comœatu ad loca obsessa, cum ejusmodi subvectio causa esse possit, ut belligerans desperata obsessæ urbis expugnatione jure suo, quod bello juste quærit excidat. Tali enim modo genti gentis jura subvertere non licet. An vero ejusmodi belligerantis Edicto comprehensa admonitio cæteras gentes, nisi per pactum prohibeantur, obligare possit, ut & ad reliquas terras atque loca non obsessa subvectione frumentorum abstineant, supra jam dubitavimus: Certe cum ab inferioribus haud raro ista comœatus subvectio instituitur, quin interdum potentiores, ex ratione consilii singularis, fiducia virium navalium ejusmodi admonitiones, nisi tam valide armatæ forent parum efficaciam habituras, facere soleant, rerum circumstantiæ vix sinunt dubitare. *Civitates*, ait Elisabetha Angliæ regina apud *Camdenum* (u), ad Hanleaticos, quorum naves præmonitionem suam spernentes interceperat, *minime decere minas regibus intentare; se non maximorum quidem regum minas, nedum civitatum timere.* Multo minus tertio interjecto, per cujus diuiones tam terrestres quam marinas ejusmodi subvectio mercium etiam contrabandarum fieri solet, a belligerante denuntiari cum obligatione passiva potest, ne talem pati velit, vel præcipi ut illas intercipiat; cujus nec terras ingredi licebit ad talem subvectionem prohibendam, quod in finibus fieri potest, cum ad istum illud commercium plane non pertineat, & transitum mercibus denegando æque pacatum offendere possit, atque eundem concedendo belligeranti rem minus gratam præstat. Danum pacto Brômsebröensi & Hafniensi teneri ad permittendum Suecis transitum *incircumscriptum*, uti talis *Bœclero* (x) scriptore

u) *Elisabeth.*  
ann. 1589.

x) *Bell. Sueco.*  
*Danic. l. 3.*  
p. 278.

tore postulatus fuit, cum instrumentis bellicis & apparatu militari per fretum Oresundicum, patet ex instrumento fœderis (y).

§. 38. Plus difficultatis habet *jus visitandi naves*, examinandi vectores, atque inspiciendi merces, cum non solum vectoribus atq; com̄ercantibus haud obscure notam malæ fidei inurat, sed & paritatem gentiū lædere, libertatem com̄erciorum impedire, & cum plurimis molestiis conjunctum esse videatur. Cum vero etiam vitio ingenii humani sæpe numero res non sine fraude gesta, per libertatis com̄erciorum abusum multiplex damnum datum, merces prohibitas navibus absconditas, & hosti subministratas in beligerantis præjudicium constet, pro temporum & rerum circumstantiis suam dignitatem & jura etiam armis asserendi gentes paratæ fuerunt. Anglis ab Ordinibus Belgii Confœderati cum de pace redintegrandâ agerent postulantes (z), ut fœderatarum provinciarum naves se, si postulatum fuerit, visitari sinerent, responderunt Deputati Ordinū (a), quod *visitatio navium tam militarium quam onerariarum adversa sit observantia suarum ditiorum, ferax multarum confusionum & litigiorum, & iniqua quoad dominatum hunc qui nullam reciprocationem presupponit*: contra quam sibi etiam hoc nomine Westmonasteriensi pace caverunt (b): Anglis etiam vim ideo illaturis vi postea resisti jusserunt Ordines. Conventionibus itaque gentibus rem definire placuit. Unde cum alia sit visitatio navis in portu unde solvendum, alia navium in alto navigantium, alia ad oras maritimas appellentium; quod visitationem navium ex portu solventium attinet, ne merces interdictæ & exportari vetitæ exportentur ad hostes domini portus, Pacto Monasteriensi (c) Hispanis & Belgis placuit, ut Batavorum naves ex portibus Hispani regis ad loca *Eidem inimica solventes, præfectis salvos conductus suos, qui oneris sui specificationem certificatam, & signo ac sigillo ordinario & cognito Senatus maritimi Præfectorum loci illius, e quibus primum solverunt, cum expressione loci ad quem destinate sunt, idque ordinaria, ac consueta formula signatam exhibeant, citra ulteriorem molestiam, qua afficientur, postquam Salvos Conductus suos ita exhibuerint. Ast in Fœdere pacis (d) inter Daniæ Regem Frider. III. & Cromwellum Angliæ quondam Protectorem, ita dictum, an. 1654. de navium ex Daniæ portibus recedentium visitatione ita habuit conventio:*

*Quod*

y) Art. 2.

z) Artic.  
Pac. Union.  
& Confœderat. inter  
Rempubl.  
Ang. & Ord.  
Belgij  
Confœd.  
propof. ann.  
1653. 28. Nov.  
art. 15.  
a) Resp. ad  
27. art.  
b) Art. 18. 23.

c) Art. 8.

d) Art. 12.

c) Art. 12.

Quod abietes, mali, ceteraque lignorum genera, ubi semel in Reipublica Angliæ incolarum naves illata fuerint, nulli amplius visitationi subjecta esse debeant; verum omnis visitatio vel scrutatio antea fiet. Naves vero in alto navigantes, vel plaustra in terris sibi obviam fieri quando contigerit, fœdere quod inter Suecos & Anglos eodem anno, quo superius inter Anglos & Danos convenit, (e) placuit, quod naves, plaustra, merces, hominesque ab alterutrum Confœderatorum pertinentes, in itineribus ac navigationibus suis muniti esse debeant certificationum literis, secundum certam formulam scriptis, & a supremo ejus provincie urbis, unde exiverint, Prefecto aut Magistratu signatis, ita ut si in aperto mari, fretis, portibus, stationibus, terris ac locis quibuscunque obvii fuerint navibus bellicis publicis, aut privatis, vel hominibus subditis ac incolis alterius fœderati, suosque salvos conductus & certificationum literas exhibuerint, nihil ulterius ab illis exigatur, nec ulterius, fide plenissime habita, in bona, navigia & homines inquiratur. Similis conventio ad cognoscendum utrum merces interdictæ sint, & ut navis nautæque qualitas sufficienter apparere possit, datur inter Hispanos & Belgas (f), inter Gallos & Hansam Teutonicam (g); peculiaribus licet cum ceremoniis ista mercium cognitio institui soleat. Tali libero transitu, exhibitis tantum Helsingoræ literis suis navalibus, verbis plane generalibus conceptis, per fretum Oresundicum Sueticos subditos gaudere, ex pacto Bromsebrœnsi & Hafniensi jam notavimus. Gaudent etiam Unitarum Belgii provinciarum subditi secundum Pactum Monasteriense (h) hac libertate, ut ad oras aliquas maritimas appellentes, non tamen portus intrare volentes, sive intrantes onera sua exponere, seu vendere nolentes, onerum suorum rationem reddere non teneantur; nisi suspicionem moverint, se velle interdictas merces ad regis Hispaniensis hostes transvehere, quo in casu salvos conductus suos in portibus exhibere necesse habent.

f) Art. II.

g) Art. 6. sq.

h) Art. 9. 10.

i) Art. 26.

§. 39. Quanquam vero in portibus Hispanicis Uniti Belgii incolæ & subditi, in Dania vero Sueci hac gaudent libertate, ut inspectionem mercium admitttere non teneantur; in Anglia tamen, alibique scrutatores dari, qui importandarum & exportandarum mercium curam gerunt, non solum ex fœdere Burgundico (i) an. 1495. inter Henr. VII, Angl. Regem & Philippum

lippum Aultrium percusso constat : sed & pace Westmonasteriensi (k) inter Cromvillum & Belgii foederati Ordines conventio, hos scrutatores ne licentiosius concessio se gerant concernens, intercessit. Hujus scrutationis etiam mentionem facit doctiss. *Strauchius* (l). Fundatur autem hoc jus merces exportandas & importandas cognoscendi in jure portus & vectigalium, explicante *Dn. Rhetio* (m). Æquitas in modo inspiciendi, explicatur in *Foedere Burgundico* (n). Eximie etiam de hac quaestione disputat *B. Bœclerus* (o) noster.

§. 40. Plaustra, vel naves ad hostes a pacato merces *de contrebande* transvehentes, a belligerante, cujus interest ne transmittantur, intercipi & interceptas esse constat. Si *damnum nondum dederit, sed dare voluerit, jus erit rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obsidibus, pignoribus aut alio modo,* ait *Grotius* (p); qui & hoc addit : *Quod si praterea evidentissima sit hostis mei in me iniustitia, & ille eum in bello iniquissimo confirmet, jam non tantum civiliter tenebitur de damno, sed & criminaliter, ut is qui judici imminenti reum manifestum eximit : atque eo nomine licebit in eum statuere quod delicto convenit : quare intra eum modum etiam spoliari poterit.* *Grotium* sequitur *Marquardus*. (q) Instinctum naturalem quo declinare quaerimus ea quæ nocitura videntur, uti jus naturæ non improbat, ita nec in gentium commercio gentium jus ejus stimulos admitti prohibet. *Licebit, inquit Dn. Zieglerus* (r), *præcavere, ne rebus necessariis aliunde illatis vires hostium adaugeantur.* An itaque declinando quod belligeranti noxium, & in juris sui executione impedimento esse videtur, eo usque progredi liceat, ut, si monitus rogatusque pacatus non desistit cum hoste belligerantis in ejus damnum cessura commercia exercere, ille possit naves hujus, pacati sc. intercipere, quaeritur. Discernendum vero hic nobis videtur, inter id quod est *Juris Gentium* proprie loquendo, ab eo quod est pacti inter unam & alteram gentem peculiaris. Pacatum alterius belligerantis hostium vires bellicas augere & naturæ & gentium juri repugnat, unde & impedire licet illa commercia, quibus hostis tantum invalescit ad damna inferenda. Cum vero hæc declinatio suos habet gradus, non statim intercipiendæ & retinendæ videntur naves, plaustra, & merces omnes, præprimis si non omnes fuerint prohibita, nisi pacto, quamquam & hoc variat, sic fuerit inter gentes constitutum.

F

jus-

k) *Art. 23.*

l) *Diff. Acad. de Imper.*

*Mar. c. 6.*

*§. 8.*

m) *Diff. Jur. Publ. de Jure*

*Port. c. 3.*

*§. 17.*

n) *l. c.*

o) *Com. Gros.*

*P. II, p. 72, §.*

p) *J. B. P.*

*3. I. 5.*

q) *Jur. Mercat. P. I. c. 16.*

*n. 34.*

r) *Not. in*

*Grot. l. c.*

*p. 515.*

jusmodi enim navium & plaustrorum retentio extremus nisus & ultimus gradus est, quo declinatur subvectio ad hostem instituta; quam vim inter pares qui in pace mutua vivunt adhibendam, non statim ab interceptante facta ad alios populos admonitio largitur: Negari licet non possit, cum plerarumque gentium pactis, merces prohibita praedae partim cedant, partim fisco addicantur, tum etiam quando salvam libertatem navis & reliquarum mercium permissarum esse placuit, hinc in consuetudinem & morem gentium fere abiisse, ut merces vetitae retineantur, dimissa nave intercepta, & mercibus caeteris, etiam nullo hoc nomine pacto existente, exemplo Belgarum, Suecorum, aliorumque populorum. Justum autem est hoc discrimen quod habetur mercium. *Licita res*, inquit *Alberic. Gentilis (s)*, non confiscantur propter illicitas: etiam non confiscantur licita, etsi utraque pertinent ad unum rectorem. Quod si vero qui neutras sequi volunt partes moniti, invito belligerante cum mercibus suis, sive in bello tantum habent usum, sive usus sint ancipitis, ad hostes, & quidem quod attinet hujus generis res, ad obsessos tendant, quin si moniti recedere nolint, vi tum prohiberi atque retineri possint, donec de futuro cautum fuerit, ut *Grotius* existimat, dubium non est. Omnino enim sui, ne detrimentum accipiatur, curam habere licet. Sin autem vires hostium augendo, in consequendo jure suo, quod in propinquo erat & spe bona, uti fit si quis urbem animo expugnandi obsidet, medii belligerantem frustraverint, quando tractantur tanquam hostes, amissis navibus & mercibus, sibi imputent: Non amplius enim pro neutris habendi sunt, cum alteri parti graves existentes, contra belligerantem hostes juvant. *Culpa est*, monente *Vasquio (t)*, immiscere se rei ad se non pertinenti. Et sic extra pacti rationem, secundum communia juris & aequi principia, & regulas universales, se res habere videtur.

s) *Hisp. Ad G.*  
l. 1. c. 20.

t) *Controv.*  
*Illust. l. 1.*  
c. 19. n. 7.

§. 3. Verum cum tempora, causae, loca, peculiaris consilii ratio, habitus item animorum varient, pacta quae hodie plerumque sunt norma agendi, sunt necessaria. *Pourront les commandans de Vaisseaux de sa Majeste retenir les dits grains, & autres choses servans a la vie, en payant le juste valeur, suivant l'estimation qui en sera faite: si non & a faute d'estimation & de payement en deniers comptans, les sujets des dites villes Hanseatiques pourront se retirer librement avec leurs Vaisseaux & mar-*



*chandises* &c. (u) Fœdere vero inter Gallos & Anglos an. 1655. (x) hoc casu *tam naves quam apparatus, & mercimonia legitima sunt præda.* Inter Anglos & Suecos pacto ann. 1654. (y) *merces de contrebände cedunt præda, sine spe restitutionis.* Inter Anglos & Hispanos apud *Meteranum* (z) convenit, *merces prohibitas tantum in commissum cadere, delinquentem autem puniri.* Idem *Tractatu commerciorum Monasteriensi* inter Hispanos & Belgas fœderatos obtinuit, (a) *ut mercibus prohibitis fisco adjudicatis, naves cæteræque merces liberæ & permis- sæ dimittantur.*

§. 40. An naves tertii merces hostiles deferentes prædæ cedant, inter Zelandos (b) & Anglos disceptatum tradit *Zouchaus* (c); illis affirmantibus, his negantibus. Edictis etiam Regum Francorum Franc. I. Henric. III. idem sancitur, licet ab ejus obligatione Hanseatici per annos 15. liberi fuerint vigore *Tractatus* (d), *cujus superius facta mentio.* *Pacto vero Monasteriensi* (e) conceditur Belgis Unitis navibus suis vehere bona hostium regis Hispani, *exceptis mercibus interdicitis;* quod genus conventionis etiam Gallis & Anglis placuit an. 1655. (f) *Extra pactum cum Zouchæo hoc æquum censemus, ut amicorum naves, ablatis tantum mercibus, etiam prohibitis, quod contra Zouchæum notamus, dimittantur.* Qualis æquitas etiam Carolo Gustavo Suecorum regi placuit an. 1659. Confer *Königlich Schwedisches Seeregiment dem Bismarischẽ Commendanten ertheilt* anno. 1659, quod Actis suis adjecit *Marquardus* (g).

§. 41. Quid vero si in navibus hostilibus interceptis bona tertii inveniuntur? Hostiles censerit, doceri potest exemplis pluribus, exemplo etiam *Tractatus commerciorum Hispano-Belgici Monasteriensi* (h), qui libertati alias commerciorum tantopere favet; non tamen esse juris Gentium ipse *Grotius* (i) agnoscit. *Æquior est Tractatus Gallico Hanseaticus* (k), quo per 15. annos privilegio Hanseæ concessio Rex vult, *que les Marchandises trouvees dans les navires d'ennemis, qui se justifieront appartenir aux habitans desdites villes Hanseatiques, leur seront rendües.* Idem in commercio terrestri observari, æquitatis est. Si enim commercium cum hoste alterius non est interdictum tertio pacato, quî ob factum non hostile, quale est si vel plau- stro vel navibus hostilibus ipsius merces vehuntur, tanquam hostis tractatur?

§. 42. Induciarum tempore quid liceat, distincte expli-

u) Art. 23

x) Art. 15

y) Art. 11

z) *Histori Belg. l. 24 f. 269. n. 24. ad. n. 10.*

a) Art. 12

b) *Conf. Camden.*

*Elif. anni 1576.*

c) *de Judic. inter Gent.*

*P. II. f. 8. c. 6.*

d) Art. 3.

e) Art. 14.

f) Art. 15.

g) *l. c. P. II. f. 705.*

h) Art. 13.

i) *l. B. P. 3. 6. 6.*

k) Art. 3.

l) *Iur. Bel. l.*  
2. c. 12.

m) *Hist. l. 1.*

n) *l. 5.*

o) *l. 3. c. 7.*  
13. § 9.

p) *Iur. B. P.*  
3. 21. 1.

q) *l. 3. de Iur.*  
*B. P. c. 17.*

r) *l. 3.*

s) *l. 5.*

candum. Si enim universales sunt, & plenariam cessationem aetuum bellicorum continent, si praeterea longiores sunt & complurium annorum, si, ut *Alber. Gentilis* (l) loquitur, naturam pacis imitantur, & a belli ducibus non tribuuntur, uti *Livius* (m) tradit Romulo regnante *Vejentibus* in centum annos inducias datas; & inducia quinquaginta annorum inter Athenienses & Spartanos *Thucydidi* (n) dicuntur *σπονδῆς*, foedus, quas ex *Trogo Pompejo* Pacis nomine celebrat *Iustinus* (o); quin tum liberum commercium quoque detur, uti pacis tempore, dubium non est. Valet quippe, monente *Grotio* (p), per tales inducias, quod de pacis tempore dictum est, non quidem ex vi vocis, sed ex certa mentis collectione. Subvectio enim a belligerante impedita ad hostes ex hostilitatis exercitio oritur, quod induciarum pacis imaginem habentium tempore cessat.

§. 43. Ceterum sicut haec quae haec hactenus disputata sunt intelligi debent de commercio, quod subvectione mercium variarum ad hostes belligerantis, qui tamen amici nostri sunt, instituta exerceatur, ita non idem sentiendum, quando amici isti nostri, belligerantis hostes, eiusmodi mercium, quae in bello tantum usum habent, emendarum gratia ad nos veniunt, talesque emunt. Illi enim hoc facere possunt, & nos illis ne faciant interdiceret non tenemur, modo belligeranti idem concedatur, secundum ea quae docet *Hugo Grotius* (q). Ita Veneti, cum Gallicum iisdem exostularent apud *Guicciardinum* (r), quod emtus *Venetis* commeatu & pulvis tormentarius suis hostibus advectus esset, responderunt, in sua civitate nemini unquam interdictum esse negotiari, & factum illud privatos mercatores habere.

#### COROLLARIUM.

PECCATUM PHILOSOPHICUM, recens *Thesiu Divionensiu de Peccatis* commentu, ann. 1686, & his verbis coram Christiano orbe ab Autore declaratum: *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali & rectae rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum: Quod & Lovanii fautores invenit, ceu ex thesibus ibi mense Decembr. an. 1688. ventilatis constat; Dogma est repugnans Scripturae sacrae; veritati, immutabili rectitudini, & legali obligationi Iuris naturalis; genuinis item moralitatis originibus, & naturae ipsius peccati; falsissimisque ab ipso *Aristotele* improbatissimis nititur principiis; Ne de horribili impietate, quam occultat, quid dicatur.*

FINIS.

ULB Halle

3

006 609 04X




*Num A + A4*

*KD17*







B.I.G.

Farbkarte #13

*J. J. Zentgrafus de iure commercior. Tertii.*

*mit Widmung 1, 278. 565.  
adfer. H. p. 425.*

*###  
7  
1690, 6  
a*

Q. D. B. V.  
DE  
JURE  
COMMERCIORUM  
TERTII

inter Belligerantes,  
ad HUGON. GROTII l. 3. J. B. P. c. I. n. 5.  
DEO bene annuente,  
In Incllyta Argentoratensium Academia,  
PRÆSIDE

DN. JOH. JOACHIMO ZENTGRAVIO,  
D. & Philosoph. Pract. P. P. Celeberrimo,  
Patrono, Promotore, Fautore, ac Præceptore,  
omni observantiæ cultu æternùm prosequendo,

*Disputabit*  
JOHANNES FRIDERICUS SCHMIDT,  
Argentoratensis.  
*die Mensis Novemb. An. MDC XC.*  
H. L. Q. S.

ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS WELPERI.

